COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XV. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, et Petr. Mortier, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.





I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, för År 1766. Vol. XXVII. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd Stockholm, trykte hos Directeuren Lars Salvius po deſs egen koſtnad, 1766. 8vo mai. pl. 22. tab. aen. 7.

i. e.

Acta Academiae Regiae ſcientiarum Suecicae ad annum 1766. Vol. XXVII.

Trimeſtre primum.

1) *De legibus mortalitatis in Suecia ductu tabularum annuarum* commentatur PETRUS WARGENTIN. Ex his tabulis, obſeruationes generales varias notatu dignas condit; vt: infantum tenerorum quartum aut quintum quemuis mori, iuuenum vnum ex 150 aut 160. Quod feminae diutius vi- p. 1. p. 17. vant, non eſſe a genere vitae illarum, quaſi mares pluribus et laboribus et periculis exponantur, ſed a natura ipſa, nam et neonatas et tenellas feminas magis vitales eſſe, aeque ac reliquis aetatibus omnibus, annis 30–35 exceptis, vbi feminarum vitalitas fere debilior videtur, ab hac enim vitalitate feminarum maiore eſſe, quod in omni aetate plures feminae viuant maribus, etſi pueri plures naſcantur.

Medium ſumendo ex annis 9, ſcilicet 1755-1763 in omni Suecia quotannis 100 ex 3442 moriuntur, ſed ſaltim 100 ex 3532, ſi Holmiae mortui et vi-
p. 23. ventes non computentur. Per hos nouem annos aetatem 90 annorum ſuperarunt viri 2036, feminae 3540. Anno 1755 in Bothnia Orientali femina 117 annorum e vita deceſſit.

p. 25. 2) *Aedificium et fornacem frumento ſiccando et polentae* (Malz) *torrendae aptum* deſcribit IACOB GRIPENSTEDT. Structurae huius vtilitatem experientia comprobauit.

p. 39. 3) *Aſcitem paracenteſi et medicamentis interne curatam* narrat ROLAND MARTIN. Puella, vſque ad tertium aetatis ſuae annum ſymptomata rachitidis perpeſſa, deinde in partibus corporis carneis, artubus praecipue marceſcere coepit. Tempore peſchatos 1764 a tuſſi, infantibus pernicioſa, ope archiatri HEDENBERG liberata eſt, emeticis adhibitis, tabeſcere vero non deſiit, ſimul abdomen intumuit, diuretica euacuationes ſat inſignes effecerunt, aſcitem vero non leuarunt, igitur, cum nullum aliud auxilium ſe offerret, paracenteſis decreta eſt, quam
p. 41. Cl. Auctor perfecit acu triquetra minore, quae ad puncturam ſcroti adhibetur. Magna copia aquae turbidae emiſſa, abdomine paullatim linteo compreſſo, caute tamen, ne muſculi abdominis nimium premerentur, cataplaſmata ex aceto ſcillitico, deinde ex herbis reſoluentibus, in vino rubro coctis, impoſita ſunt. Id multum leuauit morbum, ſed poſt aliquot ſeptimanas ita rurſus abdomen intumuit, vt
p. 42. nouam paracenteſin ipſa deſideraret. Ea iam ab archiatro peracta eſt, an. 1765, deinde adhibita ſunt elixir cachecticum PETERSENII in actis anni ſuperioris deſcriptum, pilulae ex duabus partibus radicis

cis ialappae et vna reſinae ſcammónii cum melle. Poſt ſecundam hanc paracenteſin nunquam abdomen intumuit ad quartam partem voluminis, quod primo diminuebatur; intra 5 aut 6 hebdomades appetitus ciborum et ſomnus redierunt, abdomen nunquam magis intumuit, quam quarto poſt paracenteſin die; tympanitide tamen interdum abdomen intumuit, pillulis vero viſceralibus exhibitis, ſanitas omnis infanti reddita eſt, vt pingueſcat iam et bene ſe habeat, niſi quod abdomen ab aëre, in inteſtinis contento, paullulum tumeat. His credit Noſter oſten- p. 43.
di, paracenteſin, non, vt plerumque dicitur, cum ſemel facta eſt, tota vita durante, repetendam eſſe, alia quoque exempla aſcitis curatae, vbi paracenteſis vtilis fuit, narrat, et huius operationis, quam etiam inſtituit, a SCHULZIO anno 1759 recenſitae, inprimis in tam tenello corpore felicem euentum notatu dignum pronuntiat.

4) *Tentamina mineralogiae, cum tourmalino inſti-* p. 45.
tuta edit SUEN RINMAN. Tourmalinos quinque, impenſis ſat magnis ſibi procurauit Academia, ab his fruſtula quaedam, mutua percuſſione lapidum ſeparata ſunt, quibuscum experimenta Noſter inſtituit, ad lampadis flammam tubulo directam, nam conſueto igne ob exiguitatem tractari non poterant. Erant vero tourmalini diuerſorum colorum, alii Cey- p. 49.
lanenſes, alii Braſilienſes, ipſe inprimis examinauit fruſta Ceylanenſis, coloris obſcuri fului, illa in igne crepitus nullos edidere, vt cryſtalli et ſpata, vehementi gradu ignis cretae albedinem nacta, ſpuma alba enata eſt, continuato igne prodiit vitrum album, opacum, colore margaritis ſimile. Etſi lapidis huius nimis exiguam quantitatem habuerit, quam vt tuto aliquid de eo ſtatuere poſſit, credit tamen, proxime accedere ad zeolithos, cum eodem ferme ignis gradu

liqueſcat et ſimili modo ſcoria alba, phoſphoreſcente. Igitur tourmalinus eſt ipſi *zeolithus vitreſcens electricus*, referendus hoc nomine ad zeolithos Cl. CRONSTEDT in mineralogia.

p. 57. 5) *De tourmalini proprietatibus electricis* refert TORBERN BERGMANN, cui lapides, quos diximus, examinandos Academia crediderat. Omnes tourmalini effectus, ad vnicam legem fundamentalem
p. 61. reuocat, ita enunciandam: *Cuiusuis tourmalini polus vnus calefactus poſitiue electricus fit, negatiue, dum refrigeratur; earundem cauſarum in alterum oppoſiti effectus ſunt, qui negatiue electricus fit a calore, poſitiue a frigore.* Eam legem experimentis confirmat, et hinc omnia, quae propria tourmalino ſunt, deducit, AEPINUM quoque cum WILSONO conciliat,
p. 65. qui duumuiri, cum ſoli fere ante Noſtrum tourmalinum examinauerint, in quibusdam diſſentiunt, quae, BERGMANNO iudice, non tam ad experimenta, quam ad modum explicandi experimenta pertinent. Tourmalinos nondum arte laeuigatos, QUISTIUS RINMANNO miſit, virides et coeruleſcentes, Braſilienſes, polyhedros, priſmaticos, incerto hedrarum numero, polos habentes ad extrema cryſtallorum, tamen in directione per polos non transmittentes, quantumcunque alias perſpicui ſint, ſine dubio referendos ad corneum cryſtalliſatum (*Schörl*).

p. 68. 6) *De morbillis, ad variolas, inſitione excitatas, accedentibus, obſeruationes* edit PETRVS IONAS BERGIVS. In orphanotropheo, quod ordo mulierum liberorum ſic dictorum Holmiae condidit, cum medici munere fungatur Noſter, variolas
p. 72. inſitione excitauit puero vno, puellis ſex, aetatis annorum 5-8, forte vero ſimul morbilli eoſdem infantes adgreſſi ſunt. Hic diarium edit eorum, quae aegris

aegris acciderunt. Conſectaria, ex his obſeruationibus deducta, alii parti ſcriptionis ſuae ſeruat.

Trimeſtre ſecundum.

1) *Tourmalini proprietates electricae quomodo innotuerint*, enarrat IOH. CARL WILCKE, hiſtoriam litterariam inuentorum illorum edens. Non omittit, cum omnes, qui de tourmalino locuti ſunt, magneticam eius vim credidiſſent, LINNAEUM primum in flore Zeylanicae praefatione 1747 ſcripta electricum lapidem appellaſſe, tum vero tantum ex iis, quae relata legerat. Primus tourmalini naturam electricam experimentis confirmauit AEPINUS, iam imperatrici Ruſſorum a conſiliis collegiorum, cum 1757 Berolini profeſſoris aſtronomiae munere fungeretur. Lapidem ipſum LEHMANNUS, nuper Petropoli fato functus, exhibuit, WILKIUS vero, qui tunc Berolini degebat et electrica tractabat experimenta, adfuit et aliqua in diſſertatione de electricitatibus contrariis, 1757 edita, de illis retulit. Dux de NOVA CARAFFA in epiſtola ad BVFFONIUM edita, quaedam contra AEPINUM monuit; WILSONUS etiam quaedam aliter, quam AEPINO contigerant, expertus eſſe ſibi viſus eſt. AEPINUS vero ſua tuitus eſt, et illuſtrauit. Ita, quae cum tourmalino acta ſunt, Noſter recenſet, vna cum ipſis recentiſſimis BERGMANNI et RINMANNI inuentis, ſua etiam editurus. p. 89. p. 93.

2) *Tourmalinorum Braſilienſium examen mineralogicum* exhibet SUEN RINMAN. QVISTIUS Londino rudes miſit. Conſtans eſt, quod iam QUISTIUS obſeruauit, opacos eſſe ſecundum longitudinem columnae cryſtalli, luci admotos, perſpicuos ſecundum directionem illi perpendicularem, in dire- p. 109. p. 111.

ctione eadem, qua opaci ſunt, poli iacent. Hinc infert Noſter: Ceylanenſes, quos non niſi politos adhuc vidimus, non rudes, quales natura offert, etiam forma cornei cryſtallini naſci. Braſilienſium vero margines, cultrorum aciebus ſimiles et fracturae recentes oſtendunt, non in arena reperiri, quod de Ceylanenſibus dicitur, ſed a matricibus ſeparari. Ad aquae grauitatem ſpecificam 1000 tourmalini maximi Braſilienſium grauitas ſpecifica eſt 3061;
p. 113. cornei cryſtallini Persbergenſis 3077. Ad flammam ellychnii tubulo impulſam, dum candeſcit tourmalinus, finditur, ſpumeſcit, et guttulas veluti ſudat, deinde in ſcoriam opacam abit, colore margaritae
p. 114. albae, duritie porcellanae. Cum aequali pondere boracis abit in vitrum clarum, durum, paullulum coeruleſcens, quod ab aqua forti poſt vehementem ebullitionem ſoluitur, ſed ita, vt quaſi albae nubeculae in ſolutione fluctuent, pars autem gelatinae ad modum vitro adhaereat. Ex quibus haec colligit
p. 115. Noſter: Braſilienſem tourmalinum ad corneum cryſtallinum pertinere, a Suecico corneo cryſtallino ea ſola re differre, quod Suecicus pauxillum ferri contineat, vnde forte electrica vis ipſi deeſt. Cum vero corneus cryſtallinus ab igne ſpumeſcat, et in aqua forti ſolutus gelatinam exhibeat, qui duo zeolithi inprimis characteres ſunt, corneum cryſtallinum ad zeolithi genus referri poſſe, ad quod cum Ceylanicus tourmalinus pertineat, tourmalini huc vſque noti ad idem ſaltim genus poterunt reuocari.

p. 116. 3) *Fornacem acido ligni et vegetabilium combuſtorum commode colligendo* deſcribit CARL FRIEDRICH NORDENSCHOELD. Facile proſpicitur, tubos fornaci aptari; in quibus fumus condenſetur in aquam, dum exſtillat, recipiendam. Huius aceti proprietates varias memorabiles recenſet. Aliquot diebus

diebus ſepoſitum intenſe rubeſcit, ſedimentum picei coloris deponit, diſtillatione tunc facile a phleg- p. 120.
mate liberatur, probe rectificatum metalla ſoluit, cum vitriolo calcinato nigreſcit, nitrum ſoluit, quod mox cryſtalliſatur, augetur, egregie perſpicuum et album euadit, vnde forte hoc aceto nitri vires augeri poſſent. Sebum flamma candelae ſolutum, praebet p. 122.
aquam claram, absque ſapore aut odore acido. Acetum illud lethiferum eſt vegetabilibus, quae illo aquantur, ſed alcalinis ſaturatum et aqua dilutum, vegetationem iuuat. Aceti iuniperi, non deſtillati cochlear ſumtum ſudorem prolicit, et contra peſtem febresque graues adhibitum eſt, et vt ſpecificum contra pleuritidem commendatur. Finnones aceto, ex fraxino per deſcenſum parato, medicamenti vniuerſalis, ſudorem illis elicientis, loco vtuntur. Diſcutientem vim in inflammationibus et contuſionibus oſtendit.

4) *Orbitam a ſole circa centrum commune grauitatis ſyſtematis planetarii deſcriptam* inueſtigat DANIEL MELANDER, algebra communi ſaltim vſus, quo differt eius methodus ab ea, quam D'ALEMBERT, *recherches ſur differents points importans du ſyſteme du monde* Tom. II. exhibuit. p. 123.

5) *Papionis ſpeciem ſingularem* deſcribit CLAS- p. 138.
ALSTRÖMER, commiſſarius collegii regii commerciorum, ſodalis ſocietatis botanicae Florentinae. Animal Berolini vidit 1764 et depingi curavit; iconem hic exhibens, differentiam ſpecificam ſic tradit: ſimia ſemicaudata, ſubbarbata, malis tumidis nudis, cyaneis oblique ſtriatis, natibus caluis ſanguineis. p. 142.
Inprimis agnoſcitur protuberantia ad vtramque narium partem poſita, qua facies velut laruata apparet, vnde et quod viribus inſignibus animal pollet, adeo-

que ſi in ſylua occurrat, terrorem vehementem incutere poſſit. *Mormon* Noſtro nomine triuiali appellatur. Cuius certam mentionem facit, THOMAS BARTHOLINUS, Act. Med. et Phil. Hafn. Vol. I. c. 36. p. 67. et 313, qui et anatomiam exhibet, ex qua patet, ab oſſibus cribroſis, ad vtramque naſi partem eleuatis, protuberantias illas ſuſtineri. Ceterum minus recte BARTHOLINUS animal cercopithecum et mamonet vocat.

p. 147.

p. 148. 6) *De calculo veſicae, ex viro 68 annorum ſolo*, refert ROLAND MARTIN. Vir inde a 45 aetatis anno, magnos a calculo dolores ſenſit, quibus praeternaturalem corporis diſpoſitionem, labores, ad parochi ruſtici officium pertinentes, vt itinera ad aegros viſendos ſuſcipienda, cet. occaſionem dederat. Ei ante quindecim annos calculum Archiater SCHÜTZER exemerat, redierunt vero dolores, et vtcunque lithontriptica adhiberentur, intolerabiles facti

p. 151. ſunt. Datum eſt igitur Noſtro et chirurgo SCHÜTZERO ad eum proficiſci, et manus auxiliatrices adferre. Ipſo aduentus die, ſpecillo immiſſo, calculum non ſenſere, altero vero die ſpecillum calculum detexit et adhibita eſt inciſio lateralis, quae fratris IACOBI appellatur, SCHÜTZERUS olim in eodem ſubiecto apparatu magno vſus fuerat. Forcipe calculus exemtus eſt, qui inter operationem in tria fruſta diffringebatur. His exemtis, nec digito, nec

p. 155. ſpecillo craſſo (*bouton*) calculus in veſica reſidens animaduerſus eſt, ipſa etiam veſica contracta. Aeger in lectulum repoſitus dormiuit, expergiſcens de iisdem incommodis in pene conqueſtus eſt, quae ante operationem ſenſerat. In calculo exemto, facies vna velut polita, attentos Noſtros reddidit, MARTINUS, cathetere recto introducto, veſicam examinare optauit, STÜTZERUS cicatricem refricari noluit,

meminit

meminit tamen in apparatu magno ſpecillum introduci, quo in reſiduis calculi ſuppuratio promoueatur. Igitur ſequenti die, ſpecillo immiſſo, detectus p. 157.
eſt calculus maior heſterno, quem forcipe MARTINUS eximere tentauit; is vero et in ampla vefica forcipi breuiori ſe ſubduxit, et ob figuram difficiliusp. 158.
ea prehendi potuit. Ea res, MARTINUM et STÜTZERUM alternatim occupatos tenuit, MARTINO tandem ſucceſſit, calculum ad os veſicae adducere, forcipem STÜTZERO tradidit, ipſe digito in anum inſerto, verſus os coccygis preſſit, tandemque STÜTZERUS calculum eduxit, magnitudine oui magni columbini, pondere trium quartarum vnciae. Omne negotium quarta horae parte peractum eſt. Aliquot dies noſtri aegri curam habuerunt, deinde quomodo ſe gerere debeat, ordinarunt. Dum vulnus ſanaretur, quod circiter quinque ſeptimanis contigit, dep. 165.
ardore vrinae acris multumqve viſcidi in ſe continentis conqueſtus eſt; tum in vulnere, tum in vrethrae principio, ab operatione adhuc dolente, id incommodum paullatim imminutum eſt. Ventriculo nauſea grauis fit, cui vt olim emeticis mederi voluit. Sed MARTINUS amara, digeſtiua, rhabarbarina ſuaſit. In regione lumbari dolorem ſenſit, renum male adfectorum et arenulae indicium, quibus bolis ad calculum cet. obſtare coeptum eſt. Caſum hunc eam ob rem ſingularem MARTINUS praedicat, quod in ſene operatio biduo bis repetita ſit, inſtrumentum illud, quod *gorgeret* vocant, adhibitum non ſit, alter ille maior calculus ex aegro in lecto p. 166.
ſuo iacente, nec, vt alias moris eſt, ligato, exemtus ſit et euentus operationis voto reſponderit. Enchireſin digiti, in anum inſerti, ACRELIO ſe debere fatetur, non opus eſſe inſtrumento illo, *gorgeret* dicto, aliaque vtilia de methodis calculum extrahendi monet.

7) *Auctia-*

p. 167. 7) *Auctarium obſeruationi praecedenti* addit OLAUS ACREL. Puero vndecim annorum anno 1760 calculum exemerat, fruſtulum vero in veſica reſiduum quindecim diebus ad inſignem magnitudinem rurſus excreuit. Igitur ampliato rurſus vulnere, forcipe calculus ille exemtus eſt, aeger conualuit. Quo exemplo confirmatur, vulnus, lithotomiae cauſſa factum, aperiri denuo interdum poſſe, ſi res ita poſtulet.

Trimeſtre tertium.

p. 169. 1) *De thermis Aquisgranenſibus et Burſcheidenſibus* refert CARL M. BLOM, M. D. Soc. ſcient. Baſileenſ. ſodalis. In balneo imperatoris Aquisgranensis calor eſt graduum Fahrenheitianorum 127°, in balneo St. Cornelii 112°, in reliquis 104°–111°, ſulphur in aqua contentum, tum effectibus vaporis argentum denigrantis agnoſcitur, tum inprimis ſulphure natiuo florum forma canalibus adhaerente,
p. 173. nulla arte chymica ex aqua educendo. Hoc ſulphur ad ſal polychreſtum praeparandum adhibent, et ſal illud multo purius et candidius obtinent illo, cui communes flores ſulphuris adhibentur. Reliquas thermarum partes quomodo chymicis tentaminibus
p. 176. detexerit Noſter, recenſet. Camerarum, vbi balneum adminiſtratur, parietibus, calce obductis, adhaerent, medicis eius loci ſic dicti *flores alcalino ſalini*, vix pro natro, quale in cellis vetuſtis reperitur, habendi, ſed ab aquae vaporibus et qui iis ſuccedit, ſpiritu acido volatili deducendi, quia nullibi occurrunt, niſi vbi balnea ſunt. Illi flores recentes manent, floccorum formam imitantur, in radios velut diſpoſiti, pruinae ad modum adhaerent, vetuſtiores ſicci ſunt, duri, lamellarum forma adhaerentes, vterque cum acidis efferueſcit ſyrupum violarum viridi colore tingunt, in igne non detonant, niſi granula

ſula quaedam vetuſtiorum in aëre deliqueſcunt. NICOLAUS CAROL. WALLERIUS, cuius tentamina phyſico-chemica circa aquas thermales Aquisgranenſes Lugd. Bat. 1669. 8. prodierunt, duo genera horum florum natura diſtincta ſtatuit, falſo, niſi alios plane flores habuit. Iam de modis agit, aquas vel bibendi, vel balnei modo adhibendi, et tres balneorum ſpecies deſcribit, *vaporoſum*, quo vapor p. 184. inſtrumentorum ope ad partem adfectam dirigitur, *conſuetum*, vbi corpus aquae immergitur et id, quod *embrochen* appellant, vbi aqua antliae ope eleuata, per tubum recuruum in partem laeſam proiicitur. Quibus morbis ſingula medeantur, deſcribit et exp. 188. emplis illuſtrat.

2) *Aequationis cuiusdam differentialis tertii gradus* p. 194. *integrationem* tradit F. MALLET.

3) *De morbillis variolis iunctis, ſecundam partem* p. 199. edit PETRVS IONAS BERGIVS. Primam exhibet trimeſtris I. artic. VI. Quaedam ad ipſas variolas inſitas pertinentia obſeruat, vt, exanthemata variolarum die vndecimo ſemper prodire, quod conti- p. 200. git, cum reliquis, vni puellarum, etſi febrim non ſeptimo die cum reliquis, ſed nono demum ſenſit, vulnusque eius vſque ad decimum diem velut ſanatum apparuiſſet. Deinde tabulas exhibet obſerua- p. 203. tionum circa morbillos, inſitione excitatos; a FRANCISCO HOME*) inſtitutas, de tempore inſitionis, aetate infantum, et ſanguinis morbilloſi, febris initio, eruptione et deſquamatione morbillorum. Similem tabulam condit morbillorum, qui conſueto contagio ad variolas inſitas acceſſerunt in infantibus, quos ipſe tractauit. HOMIVS ex ſuis obſeruationibus intu-

*) Medical Facts and Experiments, Lond. 1759. 8. p. 253. v. Comment. noſtr. Vol. IX. p. 505.

intulerat, febrim ingruere, plerumque ſexto die poſt inſitionem, interdum ſeptimo; idem BERGIVS in morbillis, contagio conſueto ad variolas accedentibus, vidit. Alias quanto tempore materia morbillorum degere in corpore conſueuerit, donec febris ſe manifeſtet, difficulter definitur, cum momentum contagii incertum ſit, niſi in infantibus, qui illa cura obſeruantur, qua Noſter vſus eſt in his ſibi creditis. Febrim autem plerumque poſt triduum eruptis morbillorum ſequitur, interdum et die quinto. Deſquameſcere morbillos inſitos, Cl. HOMES die tertio, rarius quarto, ſemel ſexto, naturales ſexto die poſt eruptionem defluere obſeruauit, quod interdum ad ſeptimum imo decimum durabat, vnde colligitur,
p. 206. inſignes benigniores inſitos eſſe. Poſt vehementem febrem, eruptionem praecedentem, ſemper vehementes morbillos vidit. Truculentiſſimi ſunt confluentes. In vna puellarum tres morbi ſingulis ſatis magni momenti confluxere; variolis die quarto maii inſitis, cum febris variolarum die vndecimo maii initium capere deberet, febris morbillorum die decimo coepit, neque ceſſauit morbillis, die decimo octauo defluentibus, ſed accedentibus interdum exacerbationibus durauit vſque ad diem vigeſimum quartum maii, variolis tum erumpentibus. Simul vero purpura die vigeſimo primo maii animaduerſa eſt, inde ratio motuum febrilium ex his tribus morbis coniunctis intelligebatur, quos tamen raro exemplo feliciter puella ſuperauit. Ex hoc exemplo et
p. 208. aliis a SCHVLZIO in tractatione Suecica de variolarum inſitione, cuius verſionem debemus Cl. MVRRAY, *) additis, infert: ſi contagium morbillorum

febrim

*) *Des Herrn D.* DAVID VON SCHULZ *Unterricht von der Einpfropfung der Pocken von* IOHANN ANDREAS MURRAY. *Aus dem Schwediſchen. Göttingen und Gotha.* 1769. 8.

febrim ſuam excitauerit, antequam venenum variolarum ſufficientes motus acceperit, ad ſuam febrim excitandam, variolarum eruptionem retardari, donec morbilli defluxerint. Aliud vero contigit cum veneno variolarum in puero, quem febris variolosa, cum plurimis ſociorum, quibus inſitae erant variolae, die vndecimo maii, adgreſſa eſt. Morbillis, vt credere fas, circiter die ſeptimo aut octauo infectus erat; vtrumque igitur venenum per aliquot dies in corpore geſſit; cum vero variolarum venenum prius adeſſet, febrim conſueto die ſeptimo poſt inſitionem excitauit; acceſſit febris morbillorum die circiter decimo tertio maii, vt puer vltimis duobus diebus febrim ex duabus coniunctam haberet, vtriuſque morbi exanthemata die decimo quinto maii ſimul prodiere, quod nullum medicorum vidiſſe, BERGIVS exiſtimat. Sed tamen et febris illa duplex et exanthemata benigna et lenia fuerunt: Hinc colligitur, variolarum venenum morbillos non retardare, ſed exanthemata coniunctim prodire. Inciſio variolis inſerendis facta, cum morbilli erumperent, exſiccata eſt; in vna puellarum, quae morbillos ante variolas habuerat, inciſio, cum abiiſſent morbilli denuo madere et ipſo die, quo prodibant variolae diſrumpi, deinde ſuppuratio materiei craſſae continuari, quibus morbilli poſt variolas contigerant, illis vulnus ſiccari et ſanari. Id credit Noſter eſſe a ſiccitate, quae comitatur febrim morbillorum, et dum erumpunt, ipſa augetur. Puero, de quo ante diximus, cum febris lenis contingeret, ſiccitas non adeo inſignis inde orta eſt, hinc vulnus non omnino coaluit, ſuppurationem tamen interruptam fuiſſe, ex eo patet, quoniam tenuem per aliquot dies materiam emiſit. Ceterum vulnus iuſto citius coaleſcere certe non conuenit, quoniam ſic exitus impeditur materiei alias per illud effluxurae. Hinc aegrarum p. 210.

alia

alia grauiter morbillis vexata eſt, alia genitalia habuit exulcerata, alia vlcera. Quorum incisiones recte ſuppurauerunt, illis omnia melius ceſſere. Generatim ergo ex his colligit Noſter, in variolis inserendis cauendum eſſe a morbo epidemico et, quamdiu ille graſſatur, variolarum inſitionem differendam.

p. 212. 4) *Antliam aëri in nauibus, noſocomiisque mutando* deſcribit IACOB VENTURA, mathematicus publicus in armamentario Veneto. Eo inuento et illo quod proximum trimeſtre exhibebit, praemium obtinuit 40 nummorum aureorum, quod Academia promiſerat, inuentum ei fini idoneum, Triewaldiano et Suttoniano commodius exhibituro. Follibus vtitur, qui aërem alternatim ab vno latere attrahunt, ab altero expellunt. Quantum ſimplicitate, impenſarum paucitate, aliisque commodis ſua machina aliis praeſtet, luculenter oſtendit.

p. 222. 5) *Scorias antiquas, a cupro olim eliquato reſiduas, quomodo tractauerit*, refert SAMUEL GUSTAVUS HERMELIN. Primo illas cum carbonum puluere torruit, deinde pyrite, ſulphure foeto, addito, e centenis libris $2\frac{2}{3}$ cupri obtinuit. Difficiliores fuſae ſunt ſcoriae eaedem, ſed ante non toſtae et vix dimidium metalli dederunt, forte quod metallum illis ineſt forma quadam inter calcem et vitrum media, quod, phlogiſto addito, ad reductionem melius praeparatur. Hoc cum fructu credit etiam ſcorias ab argento eliquato reſiduis aptari poſſe, ſi illae metallum nobile, forte cupro aut plumbo vitrefacto immixtum, ſecum abſtulerint.

p. 224. 6) *De aurorae borealis altitudine* diſſertationi olim exhibitae quaedam addit TORBERN BERGMANN. Inprimis

Inprimis hic vtitur obſeruationibus aurorarum in locis ſatis diſſitis ſimul viſarum, vnde altitudines milliarium Suecorum 116–23 elicit. Simul auroras duabus noctibus ſe ſequentibus viſas, ſuſpicionem mouere credit, materiem aurorae priori nocte altiorem, ſequenti propius ad terram deſcendiſſe.

7) *Excerpta ex litteris* a BENEDICTO ANDERSONIO QUIST, Londino ad RINMANNUM. Inveniuntur hic praecipue ad gemmarum hiſtoriam et mineralogiam ſpectantia. Inter maxime memoranda muſei Britannici ſunt tres oculi mundi, e Thuſcia, vt fertur, miſſi, piſi magnitudine, lapidis cancri figura, coloris griſeo flaui, duritiei non magnae: ſicci, penitus opaci, aquae immiſſi inde a puncto quodam clareſcere incipiunt, donec totus lapis pellucidus fiat, colore rufeſcente, vt electrum. Minimus illorum ducentas libras Anglicas conſtitit, rex Galliae, ſi vnum ex tribus obtinere poſſet, libras Gallicas 6000 obtulit. Opalum NONII poſſidere ſe Noſter refert, ſimilem alii, quem imperator Romanus poſſidet, et qui pro opalo veterum habetur. HASSELQUIST autem ſub opali NONII nomine compoſitionem quandam deſcripſiſſe videtur. Eſt in Anglia, qui lithantraces ita praeparat, vt ferro fundendo inſeruiant, id vſtulando fieri Noſter autumat. In Cornubia ſtannum natiuum inuentum eſt, cuius fruſtum D'ACOSTA poſſidet et particulam Noſtro dedit, qui, examine inſtituto, valde purum reperit. Varias autem rationes nos hac de re adhuc dubios reddere aſſeruimus*).

p. 227.

p. 228.

p. 230.

p. 231.

8) *Remedium contra anaſarcam* edit IOANN. L. ODHELIUS, M. D. medicus aulae regius. Tribus

*) Vid. Comment. noſtr. hoc vol. p. 498 et Prim. Decadis Suppl. IV. p. 731.

bus libris armoraciae comminutae adfunduntur tres menſurae cereuiſiae aceſcentis, aut loco eius, quarta
p. 232. pars menſurae aceti ex cereuiſia facti. Haec ſuper fornace tribus diebus digeruntur et poſt filtrantur. Eum potum ſolum aeger adhibet, nullum alium, vt ſitis excitetur. Salſis et ſiccis veſcitur. Praeterea pulvere radicis iridos noſtratis officinalis vtitur. Quatuordecim diebus exactis, adhuc octo diebus eodem potu vtitur, ſed quantitate armoraciae dimidia. Primis quatuordecim diebus, alternis vel ternis diebus balneo vtitur. Ferri fruſtula, a mallei ictibus apud fabros ferrarios diſſilientia, candefiunt, et aheno immittuntur vaſi, aquam continenti, ita balneum calefit, aeger ſi tolerare id poſſit, caput aeque ac corpus linteo tegit. Pedum tumori medetur cataplaſma ex lichene ericetorum L. ac lacte recente tepido factum, noctibus tumori impoſitum. Vbi lichen haberi nequit, pulmentum ex farina ſecalis et lixiuio
p. 233. ſpiſſo fit. Vltima ſeptimana, qua cereuiſia cum armoraciae minore quantitate bibitur, cibis facile digerendis veſpere vti licet et ſpiritu vini cum pomis aurantiis. Tabacum fugere prodeſt. Dolores abdominis, poſteaquam euacuatur, paullatim ceſſant, dum vires redeunt et, ligando abdomen, leniuntur. Haec offerenda academiae Noſtro tradidit centurio GRANATENHIELM, addens, ſic plures quatuordecim homines ſanatos, et inter eos parochum ſeptuaginta annorum, cuius anaſarca immedicabilis erat iudicata. Non omnino incognita eſſe, ipſe OEHELIVS fatetur.

p. 234. 9) *Plantas Hallandiae indigenas, in Suecia rariores*, recenſet LAVRENTIVS MONTIN, M. D. medicus prouincialis Hallandiae. Vegetabilia numero 170. flora haec Hallandica continet, ditior, vt ait, facta, ſi debito tempore plantas quaerere potuiſſet. Chry-

Chryſanthemum ſegetum euitari in agris poſſe monet, ſi non niſi fimo recenti ſtercorentur; ſemina enim cum fimo in agros deferuntur, hinc ab hac planta agri liberi ſunt, qui ſecale hyemale ferunt, et fimo non ſtercorantur. Coreopſis bidens in palude quadam copioſe inuenta eſt, ad cuius paludis alterum latus copioſe creſcebant bidens tripartita et cernua, ſed inter illas nulla coreopſis, neque illarum bidentium vlla inter coreopſidis plantas. Semina coreopſidis negat talia eſſe, qualia generis eius ſemina in generibus plantarum deſcribuntur, eſſe in hac ſpecie exiguae latitudinis et longa, nullo tuberculo ad vllum extremorum, neque margine membranoſo circumdata. Quaerit igitur, annon luxuriatione quadam poſſit bidens cernua corolla radiata ornari? p. 243.

Trimeſtre quartum.

1) *Potulentorum varia genera hydroſtatice* examinat IACOB FAGGOT. Libra vſus eſt ſatis exacta, vt potuerit aquae purae grauitatem ſpecificam ſtatuere 15590, et in numeris tam magnis fluidorum 21 grauitates exprimere, quae huc transferre operae pretium fuerit. Ad ſiniſtram habentur grauitates poſita aqua 1000, ſed hunc numerum ad cognoſcendas grauitates parum differentes, nimis paruum exiſtimat. p. 249.

733	Spiritus vini aethereus	11440
807	Spiritus vini rectificatus	12590
930	Spiritus vini ordinarius Suecicus deſtillatus	14500
933	Spiritus vini Gallicus ordinarius	14520
949	Arrac	14800
951	Vinum Burgundicum	14840
990	Vinum vetuſtum album Gallicum	15440

990	Vinum rubrum (*Pontak*)	15440
993	Vinum Gallicum album recentius	15490
996	Vinum Rhenanum	15530
996	Vinum Aurelianenſe	15530
999	Vinum e Campania	15585
1000	Aqua pura	15590
1009	Vinum Portugalenſe album et rubrum	15730
1009	Lac caprarum	15730
1010	Acetum vini	15760
1027	Lac vulgare vaccarum emtitium	16020
1033	Vinum Canarienſe	16110
1038	Lac vaccae optime nutritae	16190
1041	Cereuiſia ſpiſſima (*biörnöl*)	16240
1119	Vinum Hiſpanicum	17450

Varia ſtatim ex hac tabula colliguntur, vt, la-
p. 252. viores aqua eſſe ſpiritus vegetabilium deſtillatos, fermentatos et vina acida; dulcia vina grauiora a ſale dulci, quod continent. Mixturas etiam examinauit et tabulas varias eo pertinentes condidit, ponens, quod experimenta ipſa docuerunt, grauitatem ſpecificam mixturae eam eſſe, quae componitur ex fluidorum commixtorum grauitatibus. Etiam ex his
p. 263. multa notatu digna colliguntur, vt: duas partes vini boni Gallici, octo partibus aquae immixtas, mixtum praebere eiuſdem grauitatis ſpecificae, ac quinque partes vini Rhenani quinque partibus aquae additis, grauitas eſt 15560. Similiter vinum Gallicum et aqua aequis partibus commixta, grauitatem ſpecificam habent 15515, eandem, quam habet mixtura ex vna parte vini Burgundici et nouem partibus aquae.

2) *Excerpta* eduntur *e litteris* TIBVRTII, prae-
p. 265. poſiti Wretenſis. *Primo* de oſſibus magnis humanis agit occaſione eorum, quae olim retulit. Terra borealis minores iam homines cur procreat, ex muta-

to

to vitae genere deducit, dum ante christianam religionem introductam, sola vere venatione, piscatione, et artibus bellicis homines occupabantur, carne vescebantur multa, ipsa equina diebus festis, sanguinemque bibebant. Vitae genera laboriosiora postmodum aucta, vires in ipsa iuuentute fregerunt, quibus et ieiunia religioni romanae frequentia addit. Sepultus iacet ante altare Wretense rex Ingo Halstanson, anno 1133 mortuus. Eius ossa in cista lapidea seruantur, et Noster dimensus est os femoris quoduis digitorum $20\frac{3}{8}$, tibiam inter patellam et tarsum 18 digitorum *). Operculum cistae fulcris ligneis sustinetur, nimis propinque vno iuxta alterum positis, quam vt caluariam metiri potuisset, quae adhuc integra est. Deinde refert, ex cameris et lectis cimices aufugisse, cum ibi reponeretur thlaspi siliculis orbiculatis, cet. Fl. Suec. 530.

p. 266. p. 268.

3) *Ex osse a* TIBVRTIO *mensurato corporis longitudinem* computat ROLAND MARTIN. Praemissis, quae de longitudine corporis, per facies mensuranda, artifices tradunt, inter quae est, tibiae longitudinem inter genu et tarsum facies duas habere, hoc est, quintam corporis partem, hinc tibiae exp. mensura TIBVRTII digitos 16 tribuit, vnum digitum deducendo ob id, quod tibiae extremum vnum ad genu confert, alterum digitum ob extremum inferius, in tarsum desinens. Ex his igitur 16 digitis quinquies sumtis, corporis longitudinem computat digitorum 80 (pedum parisinorum 6 et $\frac{111}{1000}$ pedis) hoc est, circiter vlnarum $3\frac{1}{4}$; eundem

p. 270. p. 275.

*) Pes Suecicus continet $\frac{132}{144}$ aut $\frac{9167}{10000}$ Parisini. Cum igitur duodecimalibus digitis vsus sit TIBURTIUS, longitudines ossium sunt 1′, $\frac{185}{1000}$ et 1′, $\frac{374}{1000}$, pedis Parisini.

computum esse femoris, confirmat, ponendo tamen, membra corporis in iis proportionibus fuisse, quae hic sumuntur.

p. 277. 4) *Extracti daturae vsum experimentis in nosocomio regio institutis*, confirmat IO. L. ODHELIVS. Praebuit illud Noster conuulsionibus, epilepsia, mania laborantibus, eo effectu, vt octo omnino sanarentur; (sani saltim, quantum iudicari possit, e nosocomio exirent) quinque leuamen malorum reperirent, in vnico, contra *hieranosos* LINNAEI, nihil efficeretur. Inter eos, qui sanati sunt, hoc remedio, puella etiam erat, praeter conuulsiones vehementes, chorea St. Viti agitata. Subiicit tres casus ABERGIO communicatos, de similibus medicamenti eius effectibus.

p. 281.

p. 284.

p. 286. 5) *Aëripilam aëri in nauibus mutando*, proponit IACOB VENTVRA. Vas est cauum, terreum, aut si placet, metallicum, in lateribus oppositis in tubos breues productum, quibus, si ita videtur, alii inseri possint. Eo igni impositio, calefactus aër per vnam aperturam exibit, per oppositam intrabit alius ex loco, ex quo tubus, ei aperturae insertus, in vas dirigitur. Eius machinae commoda multiplicia et vsus recensetur. Monet Academia, STROEMERVM simile quidpiam exhibuisse, de quo dicitur in actis 1757, VENTVRAE tamen inuentum simplicius esse.

p. 291. 6) *Locum geometricum* intersectionis rectarum certis quibusdam conditionibus ductarum, construit NICOLAVS LINDBLOM, professor scholae regiae iuuenum nobilium, pyroboliae deditorum.

p. 294. 7) *De magnetismo, succussibus electricis excitando*, agit IO. CARL WILKE. Hac de re, cum alius physico-

phyſicorum aliud expertum ſe narret, Noſter primo apparatum ſuum et methodum, qua vſus eſt, accurate deſcribit, deinde ex experimentis ſuis haec colligit: electricitatem et excitare et deſtruere magnetiſmum, ſed non ita, vt illa hunc effectum veluti cauſſa ſolitaria producere videatur, potius id inprimis praeſtare, vt cauſſa magnetiſmi generalis, per ferrum dirigatur et directionem ad polos producat. Scilicet tum magnetiſmus certo et optime poſt ſuccuſſum electricum oritur, cum acus chalybea, quacum experimentum ſuſcipitur, eum ſitum habet, quo et abſque electricitate vel ſolo poſitu, vt ferro contingit, vel tactu magnetis facillime magnetica fieret. Quae omnia fuſius explicat, et coniecturas examine phyſicorum dignas addit. p. 297. p. 303.

8) *Leucadendri genus, in ſpecies ſuas diuiſum*, exhibet PETRUS IONAS BERGIUS. Generis illius, cum LINNAEUS, qui id primus conſtituit, ſpecies 15 in vltima editione ſpecierum plantarum enumerauit, Noſtro contigit, vndecim ſpecies, ibi non nominatas, reperire, inter plantas, quas ex Capite bonae ſpei attulit, ſocietatis mercatoriae Indiae orientalis director, MICHAEL GRUBB, qui plantas illas Noſtro conceſſit. BERGIUS igitur in omnibus ſpeciebus, generis tam numeroſi ordinandis, gratam botanicis credidit ſe impenſurum operam. Primo igitur habitum et characterem generis praemittit, cuius eſſentiam in antheris quatuor ſeſſilibus in cauo apicis limbi corollae tetrapetalae ponit. Species, vt facilius reperiri poſſint, ad certas ſubdiuiſiones redigit, quae ſunt: foliis ſimplicibus latioribus, foliis ſimplicibus ſubulatis, foliis pinnato multifidis. Ita 26 ſpecies enumerat, additis ſynonymis et plurium deſcriptionibus. p. 316. p. 317. p. 319.

p. 328. 9) *Aluum laxantium in calore corporis mutando vim* expertus eſt ANTONIUS ROLANDSSON MARTIN, Medic. Candid. Cum poſt rhabarbarum ſumtum, dum illud effectum exſerebat, manus et pectoris calorem auctum reperiret et excrementa ipſa ſolito calidiora, magis ſollicite examinauit caloris mutationes poſt ſumtam vnciam ſalis anglicani. Eas, quod ipſe non fecit, in tabulam coniiciemus; gradus ſunt thermometri Suecici:

	Manus.	Sub axillis.	Pectus.	Vmbilicus.	Sinus.	Sub genu.	Sub plant. pedis.
Ante ſumtum medicamentum:	36	36	35	35	36	32	31
Statim poſt ſumtum medicamentum:	34	35	35	34	35	32	29
Poſt ſedes tres nullo ceterum motu ſuſcepto:	37	37	35	36	37	32	32
Veſpere eius diei:	36	35	34	34	36	32	26
Mane diei ſequentis:	26	35	33	32	35	32	26

Camera mane, cum ſumebatur medicamentum, calebat gradibus 18, aeque ac mane diei ſequentis, veſpere vero diei prioris gradibus 20. Ex his colligitur, aluum laxantia calorem corporis minuere, primis, cum ſumta ſunt momentis, dum vero ſedes cient, illum augere, ceſſantibus ſedibus, rurſus minuere. Ita, ſummas graduum caloris in ſingulis ſtatibus colligendo, poſt tres ſedes, corpus 12 gradibus magis calebat, quam ſtatim poſt ſumtum medicamentum, et
p. 330. ſic in reliquis caſibus. Fungos, conſueto more coctos, cum ediſſet, calorem corporis auctum ſenſit, ſcilicet manus, pectoris, abdominis, ad vmbilicum, calores poſt eſum 37, 35, 35; ante eſum 36, 34, 33. Similia experimenta de aliis et medicamentis et cibis ſe daturum promittit.

II.

Tables noſologiques et meteorologiques très étendues, dreſſées à l'Hôtel-Dieu de Nîmes depuis le premier juin 1757 juſques au premier janvier 1762. Par Mr. RAZOUX, Docteur en Médecine de l'Univerſité de Montpellier. Basle chez Jean Rodolphe Imhof et fils. 1767. 4. alph. 3. pl. 21. abſque dedicatione et conſpectu operis.

i. e.

Tabulae noſologicae et meteorologicae maxime extenſae, concinnatae in noſocomio magno, quod Nemauſii eſt, inde a kalendis iuniis anni 1757 vſque ad initium anni 1762. Auctore Cl. RAZOUX.

Cum Cl. Auctor patri ſuo in cura noſocomii magni Nemauſienſis ſuccederet, in proprios vſus conſignationes aegrorum et mutationum, quas ii ſubibant, conficiebat, probe intelligens, quantum inſit in bene conſcriptis eiuſmodi obſeruationibus pretii atque vtilitatis et recordatus, quam anxie principes in medicina viri tales obſeruationes efflagitauerint. Illud autem inſtitutum cum mirifice arrideret viris celeberrimis DE LA CONDAMINE et DE SAUVAGES, hic potiſſimum Noſtro auctor exſtitit ſuaſorque, vt eaſdem publici iuris faceret, non dubitans et hoc opus ipſum multum vtilitatis allaturum eſſe, et alios medicos ad ſimiles labores ſuſcipiendos eo incitatum iri.

Sermo praeliminaris primo concinnam et egre- p. 17.
giam agri Nemauſienſis deſcriptionem, maximam quidem partem geographicam, at eo modo confectam continet, vt, ex ſitu vrbis, ex directione ventorum

rum ex fluuiorum puteorumque ratione, ex caloris frigorisque gradibus, ex meteoris denique multa de
p. 24. valetudine incolarum colligi poſſint. Progreditur Cl. Auctor ad vitae genus ciuium ſuorum, quorum tres maxime claſſes conſtituit: diuitum, artificum, pauperum. Quam diuites agunt, vita deſes eſt, vt fere vbique et plurimorum morborum mater, qui
p. 26. a vita molli pendent. Artificum varia genera vberrime confirmant ea, quae RAMAZZINUS in notiſſimo libro congeſſit. Pauperes, obiectum peculiare huius operis, inferius copioſius deſcribuntur. Sequitur breuis deſcriptio incolarum Nemauſii quoad
p. 29. temperamentum, quam excipit communis victus potusque ratio, vbi Cl. Auctor multus eſt in enarrandis damnis, quae a coffeae ac nicotianae abuſu
p. 35. redundant ac dolet, loco nouarum harum conſuetudinum exoleuiſſe antiquum illum ac ſaluberrimum balneorum vſum, quorum efficaciam non tantum
p. 38. ex veteribus declarat, ſed nonnullis etiam experimentis recentibus probat, quae felicem eorum vſum in febre continua, rheumatiſmo vehementi, affectu comatoſo et febre putrida, cui epilepſia ſuperuenerat, euincunt. Tandem quaedam in genere addit
p. 41. de iis, qui recipiuntur in noſocomium, eius curae commiſſum, quorum numerus per integrum annum a tribus ad quatuor millia accedit. Duplex eorum genus eſt: alterum milites complectitur, alterum eos, qui regi non ſeruiunt, quos communi ciuium nomine comprehendit. Horum vitae ratio eadem
p. 42. eſt, quae artificum, ſed omnino vilior; quumque non niſi iam pene confecti ad noſocomium accedant, plures eorum moriuntur, quam militum, qui, ſimulac morbi primordia ſe prodant, eo deferuntur. Cum, quum ſanati fuerint, ſaepius in eo iuſto longius commorantur, adeoque ob aërem impurum, nutrimentum copioſius nimisque ſucculentum et exercitii defectum

fectum facile febre putrida, quam febrem noſocomiorum dicunt, corripiuntur. Si in militibus quae- p. 43.
dam venerei miaſmatis ſuſpicio enaſcitur, ii, quum hic loci nullum remedium mercuriale porrigi queat, quantocius in noſocomium regium, quod Montis Peſſulani eſt, deportantur. Vltimo demum loco de abuſibus quibuſdam in noſocomio ſuo Cl. Auctor conqueritur, qui nimiam aegrorum nutritionem concernunt. His praemiſſis, tabula medicamentorum, p. 45.
quorum frequentiſſimus in noſocomio vſus eſt, exhibetur, formulis ſingulis et latino et gallico idiomate transſcriptis.

Sequens operis ſectio ſiſtit ideam diuiſionis mor- p. 58.
borum ad methodum Cl. DE SAUVAGES ſecundum eorum claſſes, ordines et genera, quam quidem Noſter ſequutus eſt.

Hanc demum exhibent tabulae ipſae noſologi- p. 80.
cae ac meteorologicae, quarum rationem breuibus dabimus. Primo cuiuſuis menſis ſinguli dies enumerantur, quibus in quatuor paginae columnis adſcripta ſunt, menſura mercurii adſcendentis vel deſcendentis in barometro ad pollices et lineas; gradus thermometri duabus de die vicibus, horis matutina quinta et pomeridiana tertia, obſeruati, venti, ac demum tempeſtatum viciſſitudines. Ex his omnibus ſumma integri menſis in fine paginae contracta eſt. Hae tabulae omnibus menſibus competunt. Cum autem Noſtro ſoli cura aegrorum commiſſa non ſit, ſed collega ei adiunctus, laboresque ipſorum binis quibuſuis menſibus ſe mutuo excipiant, iis menſibus, quibus Noſter curam noſocomii non geſſit, enumeratio numeri aegrotorum ſubiuncta eſt. In reliquis autem menſibus tabulam meteorologicam excipiunt noſologicae, quae ſex columnas ſiſtunt, quarum prima morborum nomen, ſecunda numerum aegrotantium, tertia ſanatorum, quarta

mortuo-

mortuorum, quinta ſuperſtitum ſeu conualeſcentium continet, ſexta autem obſeruationes varias per hoc illoue morbo continet. Harum quidem tabularum duae ſemper ſe excipiunt; altera virorum altera feminarum. In fine cuiuſque tabulae computantur, quotquot noſocomium hoc menſe ingreſſi fuerint, quinam ex iis ſanati, qui mortui, et qui conualeſcentes ſeu ſuperſtites remanſerint. Vtramque autem harum tabularum ſequitur conſpectus generalis claſſium generumque morborum, pari ratione confectus, vt totus aegrotantium numerus vno oculis ſubiiciatur. Nunc ergo ex ipſis obſeruationibus, quae potiſſimum attentione digna viſa ſunt,
p. 81. adnotabimus. In milite pulſus perpetuo ad quintum ictum intermittens obſeruatus eſt cum tandem ſubſultu, vt, qui ex hoc ſigno ſolo iudicare
p. 87. luiſſet, eum morti proximum dicturus fuiſſet. Ipecacuanhae in dyſenteria ſummum vſum Noſter expertus eſt, cum eam primis diebus tanquam vomitorium, poſtmodum media doſi cum lenioribus purgantibus, et ſub finem morbi in quantitate adhuc dum exigua mane et veſperi cum diaſcordio ſimplici opiato congruo coniunctum exhibuit. Aquae
p. 103. iuſdam corroſiuae, quae ex mente Cl. BAUX ſolutio mercurii in aqua forti eſt, varia damna vidit, cum ea ad morbos cutaneos profligendos adhiberentur, dyſuriam nempe, genitalium inflammationem, ipſam
p. 109. que mortem ex gangrena artuum inferiorum. Ad ambuſta vnguenti, quod crebro Nemauſii vſurpant, mentionem facit, quod ex equiſeto paluſtri, ſuppreſſo igne combuſto, in mortario in puluerem redacto, et per linteum traiecto, poſteaque cum ſufficiente quantitate olei oliuarum commiſto conſtat, quod ſi per quoſdam dies vſi fuerint, ceratum diapalmae
p. 127. ſubſtituunt. Diarrhoea admodum moleſta vſu opiatorum ſuppreſſa, febris putrida orta eſt, quae

re aegrum confecit. Icterum viridem Noſter ob- p. 129.
ſeruauit, quem a ſcirrho lienis profectum putat, et
icteri nigri ſpeciebus annumerat. In angina gra-
viori kermes minerale ad granum vnum quarta qua- p. 142.
libet hora exhibitum, mirandam ſaepe opem tulit,
quod remedium prius Cl. BOUILLET ſuaſerat. Fe- p. 150.
bris intermittentis, octauo quouis die redeuntis, qua-
tuor acceſſus Cl. Auctor vidit, qui exacte eundem p. 152.
typum ſeruabant. Vomitus periodicus a ſuppreſſis
menſtruis, decimo quinto die recurrens et per tres
vel quatuor dies ſubſiſtens, qui iam quinque vel ſex
menſes durauerat, reſtituto fluxu poſt vſum medica-
mentorum conuenientium, ac demum venae ſectio-
nis in pede, ceſſauit. Colica hepatica poſt medio- p. 196.
crem doſin ipecacuanhae, quae exiguum vomitum,
ſed eximiam abdominis concuſſionem effecerat,
huicque ſubiuncta laxantia et clyſmata, ceſſit, cum
per anum multi calculi biliarii euacuati fuiſſent. Fe- p. 199.
mina hyſterica dyſenteria afficiebatur, et poſtquam
veſperi potionem oleoſam et anodynam, quae ſex gut-
tas laudani liquidi SYDENHAMI capiebat, ſumſiſſet,
altero die mortua inueniebatur, quod valde miratur
Noſter, aſſerens, ſe aliis hyſtericis abſque damno vigin-
ti guttas huius medicamenti porrexiſſe. Sudores cir- p. 224.
ca collum in febribus putridis certiſſimum ſignum
praeſentiae vermium eſſe, variis exemplis compert-
tum habuit. Homo, a natiuitate mutus, conuulſus p. 238.
in noſocomium delatus eſt, qui cum aliquot coch-
learia potionis cardiacae et emeticae deglutire coa-
ctus fuiſſet, editis nonnullis vermibus viuis, exſpira-
vit. In eo nil morboſi inuentum fuit, adeoque vel
ſanguis vitiatus, vel ſpirituum animalium turbatus p. 256.
influxus aut deprauatio in cauſſa fuiſſe videntur. Ad
dolores rheumaticos pertinaciores ſequens reme-
dium maxime proficuum Cl. Auctor expertus eſt.
Sumantur radicis bardanae recentis ſeſquiuncia vel

duae

duae vnciae, ſecundum aegri ſtatum, et minutim conciſae ex libra dimidia aquae fontanae ad conſumtionem dimidiae partis coquantur. Radice hoc modo fere in pulpam redacta, addatur mellis optimi deſpumati vncia dimidia; coletur et cum aequali parte lactis vaccini recens emulcti miſceatur. Remedium hoc calidum in lecto ſumendum, et, prout res poſtulet, per ſatis longum tempus continuandum eſt.

Subiunctae demum ſunt diſſertationes quaedam, quarum nonnullae iam ſcriptis periodicis inſertae
p. 257. fuerunt, priuſquam hic recuderentur. Sic epiſtola ad auctores diarii eruditorum tranſcripta, quae hydrophobiam, a ſolo rabidi canis ſpiritu, ore hauſto, co-
p. 262. tam, deſcribit, iam in eodem diario exſtat. Secunda diſſertatio in conſeſſu regiae ſocietatis Montis Pelliani praelecta hiſtoriam vermium exponit, qui ex puſtulis varioloſis in facie puellae proruperunt, et mutationem conſuetam in muſcam maiorem domeſ-
p. 265. ticam ſubierunt. Tertia obſeruatio de prodigioſa vermium quantitate, e naribus egreſſa, iam diario
p. 268. medico inſerta eſt. Epiſtolae ad Cl. BOURDELIN datae, quae eximiam virtutem dulcamarae in corrigenda cacochymia exemplo illuſtrat, ſumma in actis
p. 272. ſocietatis regiae ſcientiarum anni 1761 deprehenditur. Alia epiſtola, quae idem argumentum fuſius pertractat et pluribus exemplis confirmat, ad Cl.
p. 278. ROUX ſcripta, diario medico inſerta eſt. Hanc excipit obſeruatio de vomitu habituali, qui per aliquot annos durauerat, quem fungoſa excreſcentia, ſeſquipollicem craſſa, produxerat, quae pylorum exacte occludebat. Subſtantia eius ex quinque vel ſex ſtratis membranaceo carnoſis conſtabat, quae ex pylorо ad ſuperficiem ventriculi excurrebant, et in quibuſ-
p. 279. dam locis dura et calloſa quaſi apparebant. Septima diſſertatio febrium catharralium epidemicarum, quae aeſtate anni 1762 Nemauſii graſſatae ſunt, hiſtoriam

ſiſtit.

sistit. Febris haec potissimum a repressa ob caloris frigorisque atmosphaerici vicissitudines perspiratione oriebatur, et triplicis inprimis gradus erat, qui pro maiori vel minori symptomatum copia aut vehementia differebant. Quanquam multi eadem infestabantur, nemo tamen occidit. Leuior gradus solis naturae viribus cedebat: in reliquis sudor et expectoratio plerumque morbum tollebant, adeo vt tantum in vehementiori gradu venae sectione, at ea saepius iterata, opus fuerit. Purgantia leniora vel potius laxantia, ex decoctis pectoralibus hausta, et primas vias liberas reddiderunt, et bechicorum effectum exseruerunt. Octaua epistola ad Cl. DEP. SAUVAGES de variis pulsibus criticis exponit, et obseruationes auctorum aliorum de pulsu intermittente diarrhoeae, resiliente (*rebondissant*) haemorrhagiae narium, inciduo sudoris, et duro ac tenso, vomitus subsequentis prodromo, confirmat. Sequitur p. 290. epistola, quae exactissimum diarium primae inoculationis variolarum apud Nemausienses, vere anni 1757 peractae, continet. Epistola sequens ad Cl. p. 305. BELLETETE directa, de inoculationibus, ab anno 1757 vsque ad 1764 Nemausii factis, exponit, in qua p. 312. varia insunt memoratu digna, v. c. in puero quadrienni inoculatio, bis instituta, successu caruit, neque p. 315. idem contagio naturali affectus fuit, quamuis eodem cum varioloso lecto vteretur. In virgine, elapsis quadraginta octo horis, fila pure impraegnata ad p. 321. mentem Cl. POUTEAU renouata sunt, vnde duplex eruptionis stadium sequutum est, quod tamen et in aliis euenit, licet fila non renouarentur. Post dupli- p. 323. cem eamque irritam inoculationem puella variolis naturalibus affecta est, cuius rei caussam Noster in effoeto pure, ad inoculationem vsurpato, quaerit, et aliquid dispositioni singulari vniuersae familiae tribuit, cui sollemne fuerit, vel naturales variolas bis experiri. Filia Cl. BAUX, decani medicorum in p. 324.

hac

hac vrbe, initium tantum variolarum inſitarum perſenſit, anno autem et quarta eius parte elapſis, naturales, confluentes quidem, ſed benignas, paſſa eſt. Hanc rem Noſter cum Cl. DE LA CONDAMINE communicauit, cuius reſponſum hic inſeruit, quod eo tendit, naturam expellendo miaſmati variolofo poſt inoculationem imparem, adeoque gemmam hanc exſtinctam et ſuffocatam fuiſſe, priuſquam ſatis radices egerit, quod ex eo etiam appareat, quod vulnera ſuppurationem nullam ſubierint: ex quo etiam idem Vir Cl. concludit, hanc rem iis ſaepius impoſuiſſe, qui variolas, altera vice recurren-
p. 329. tes, obſeruaſſe ſibi viſi ſint. Puella viginti menſes nata breui ante et poſt inoculationem ab eruptione dentium vexata eſt: res tamen optime ceſſit. Hac occaſione Cl. Auctor putat, ſumme proficuum fore, ſi infantes, adhuc lacte materno vtentes, inoculentur, quoniam tunc, vna purgatione excepta, praeparatione nulla opus ſit, quamquam eadem aetas multo
p. 339. omnino morbis ſibi ſollemnibus obnoxia eſt. Puer nondum ſeptimeſtris cum in decurſu variolarum artificialium frigido humidoque aëri incaute exponeretur, vitae periculum incurrit, ex quo ſalubri metaſtaſi per furunculos in corpore diſperſos et abſceſſum
p. 344. in regione lumbari euaſit. Has hiſtorias excipiunt reſponſiones ad quaeſtiones, medicis Nemauſinis a facultate medica Pariſina propoſitas, et corollaria quaedam ex his hiſtoriis, inter ſe et cum obſeruationibus aliorum collatis, petita.

Haec epiſtola cum typis expreſſa in lucem prodiiſſet, aduerſarium nacta eſt Cl. DE L'EPINE, qui in relatione quadam, facultati medicae Pariſinae pro-
p. 347. lecta, eam oppugnauit. Huic igitur Noſter in diſſertatione vndecima, quae eſt epiſtola ad Cl. PETIT, doctorem regentem eiuſdem facultatis directa, reſpondet, ſeque ab ipſius obiectionibus vindicat.

III.

III.

IOHANN GEORG ZIMMERMANN *von der Ruhr unter dem Volke im Jahre* 1765, *und den mit derſelben eingedrungenen Vorurtheilen, nebſt einigen allgemeinen Ausſichten in die Heilung dieſer Vorurtheile. Zürch bey Füeslin und Compagnie.* 1767. 8. *alph.* 1. *pl.* 11. abſque praefatione.

i. e.

De dyſenteria epidemica anni 1765 et praeiudiciis cum ea coniunctis, vt et de conſiliis quibuſdam generalibus ad ea tollenda. Auctore IOANNE GEORGIO ZIMMERMANN.

Eo iam Cl. Auctor lectores ſuos deduxit, vt nihil niſi praeclarum atque eximium ab eodem exſpectent. Neque praeſens liber opinionem eorum fallet. Cum enim in dyſenteria, quam deſcriptam nobis dedit, a magiſtratu medicus prouincialis praefecturae Wildenſteinenſis conſtitutus eſſet: fieri non potuit, quin multi aegroti ipſum conſulerent, facerentque ipſi opportunitatem, cum in ipſorum commodum, tum in totius ſcientiae emolumentum labores ſuos dirigendi. Noſtrum ergo erit, ſummam totius libri breuiter cum Lectoribus noſtris communicare.

Caput primum regiones atque tempora expo- p. 1.
nit, in quibus morbus iſte praecipue graſſatus eſt. Initium eius iunio menſe fuit, ſummus gradus auguſto et ſeptembri, finis maxime medio octobri, quamquam hinc inde ſporadice per aliquod temporis ſpatium perſeuerabat. Potiſſimum pago Bernenſi, ditioni Thurgouienſi, adiacentibus Sueuiae et Auſtriae anterioris prouinciis infeſtus fuit.

Caput ſecundum de hiſtoria morbi exponit. Fe- p. 10.
bris vix non in omnibus ſub initium morbi adfuit;

nunc mitior et ſenſim increſcens, nunc vehementior; in grauiore gradu ſaepius vix perſentiſcenda. Conatus vomendi vomitusque ipſe biliosus omnibus fere ſollemnes erant, nec ſine leuamine, niſi abusus medicamentorum calidorum morbum deteriorem reddiderat. Deiectiones aluinae colore, conſiſtentia, odore, frequentia, torminibus coniunctis variabant. Proſtratio virium pleroſque in lecto detinebat. Sudores morbum non leuabant. Grauior morbus ad ſedecim nonnumquam dies extendebatur, praeſertim euacuatione in principio neglecta; plurimi tamen quinto ſextoue die conualeſcebant. Ex aegris, curae Noſtri commiſſis, duo tantum recidivam paſſi ſunt; alter ab ira, alter a refrigerio nocturno. Grauiſſimum morbi gradum, neglectis euacuantibus, purpura et vlcera cutanea comitabantur. Maximum periculum ii incurrebant, qui grauiore morbo affecti, tantum in principio remediis vtebantur et poſtmodum illa negligebant, ſaltim morbus diu protrahebatur. Et ii, qui omnem medicinam reſpuebant, diuturnis variisque morbis vexabantur. Grauiſſimus morbus eos corripiebat, qui tormina, cum nullis deiectionibus coniuncta, negligebant. Leuior contagii gradus ſuſceptus loco dyſenteriae abſceſſus inſignes in variis corporis locis vel veſiculas albas maiores producebat.

p. 20. Tertium caput morbum hunc curatius contemplatur, inque cauſſas illius inquirit. Prius quam morbus iſte inciperet, iiſdem in locis febris putrida epidemice graſſabatur, quae ratione durationis, ſymptomatum nocentium et iuuantium, exactiſſime cum ipſa dyſenteria congruebat; ex quo dilucide apparet, hanc cum febre putrida coniunctam fuiſſe. Contagium non ab ipſo morbo dependebat; ſed partim a ſingulari corporum diſpoſitione, partim a vario modo, quo exhalationes putridae ad corpus admitterentur. Cauſſae remotae in perpetuis iisque in-

ſignibus

ſignibus viciſſitudinibus caloris et frigoris atmoſphaerici non vnice quidem poni poſſe videntur, quia eaedem non vbique eundem morbum produxerunt, ſed multum omnino iis tribuendum eſt. Fructuum horaeorum vſus, a plebe nimis accuſatus, tum demum aliquid conferre potuit, quum inteſtina nimis laxa fuerint. Neque ii cauſſam recte declarant, qui inſecta, vegetabilibus adhaerentia, arguunt. Dyſenteria praeſens, vt quaevis alia huius indolis, abſque dubio putredinem humorum et relaxationem ſolidorum tamquam cauſſam praediſponentem agnoſcebat, et morbus enaſcebatur, ſi hi humores, occaſionali cauſſa accedente, v. c. refrigerio perſpirationem cohibente, ad inteſtina deferebantur. Ex ſaburra igitur bilioſa putrida, in canali alimentorum haerente, omnia phaenomena dilucide explicari queunt; ab irritatione nimirum affluxus humorum per adeo varias et multiplices vias, et vomitus frequens et creberrimae deiectiones; ab hac etiam cauſſa vel a defectu muci naturalis tormina; a ſtimulo in inteſtino recto teneſmus, et a teneſmo prolapſus huius inteſtini; dyſuria a ſtimulo partium vicinarum. Excrementa non ex ſola bile corrupta conſtant, ſed ex ſero, bile tincto; ſin alba fuerint et puri ſimilia, ſaepe ex muco in maiori copia a glandulis ſecreto, qui ſpiſſior redditus, interdum fibras membranasque mentitur. Hic error ſaepe medentibus impoſuit, vt excretiones illas denſiores tunicae villoſae partes et tenuiores, materiam purulentam exiſtimauerint, neglectisque ideo euacuantibus, aegros praecipites dederint. Inſignis etiam Cl. HELVETII error eſt, gangrenam, dyſenteriae ſuperuenientem, abſumta tunica interna inteſtinorum, ceſſare. Sanguis excretus ex ampliatis, ob irritationem, oſculis vaſorum inteſtinalium prouenit, adeoque nec is, nec ardoris in inteſtinis ſenſus inflammationis ſigna ſunt, et ſaepe

poſt vſum euacuantium ceſſant. Grauiora enim ſunt ſigna, quae nos de praeſentia inflammationis et gangrenae conuincunt: feces nigrae, cadaveroſae, ſudor frigidus, ſingultus, deliria. Plerumque rectum atque colon gangrena corrupta deprehenſa ſunt.

p. 62. Caput quartum indicationes curatorias, diaetam et prophylaxin complectitur. Priores eo potiſſimum collimabant, vt cauſſae, in primis viis haerentes, quantocius ex corpore eiicerentur, ſimulque putredini reſiſteretur. Prius in principio morbi potiſſimum, ſed quoque, ſi opus erat, poſtea vomitoria praeſtabant, niſi inflammatio vel hernia contradiceret; his ſubiungebantur purgantia, eaque leniora et in acidam indolem vergentia, quibus ſimul alteri indicationi ſatisfiebat, quorſum etiam diaeta dirigebatur. Anodyna non niſi ſumma vrgente neceſſitate et cum maxima circumſpectione adhibenda erant. Roborantia in fine morbi ea eligenda erant, quae ſimul nonnihil euacuarent, aut interdum, quae aeſtum non augerent; ſaepe tamen iis ſuperſederi poterat. Quod diaetam ſpectat, aer purus conducebat, vitato tamen refrigerio; munditiei maximopere ſtudendum erat; victus omnis animalis, nec non aromaticus, adſtringens, pinguis exſulabat; potus tenuis, lubricans, leniter nutriens ex decoctis ſeminum cerealium cum vel ſine cremore tartari, largior aquae tepidae et ſeri lactis vſus multum commodi praeſtabant. Prophylaxis potiſſimum prudentiam in mutationibus atmoſphaerae, ventilationes et ſuffimigia ex aceto in conclauibus aegrotorum, remotionem excrementorum et cadauerum, vſum fructuum horaeorum et aliorum vegetabilium facilis digeſtionis vinique concernebat. Qui prope aegros erant, in periculo contagii euacuantibus vel acidis vtebantur: ſummum autem prophylacticum in abſentia timoris et triſtitiae poſitum erat.

Caput

Caput quintum methodum medendi vniuerſalem et particularem cum effectibus inde pendentibus, fuſius exponit. Euacuatio in principio per ipecacuanham praeſtabatur, varia doſi ex aqua tepida vel infuſo chamaemeli hauſtam. Qua mane adhibita, poſt meridiem decoctum ex hordeo et cremore tartari in vſum vocabatur; altero die apozema ex tamarindis et aqua ſimplici, quod, poſtulante neceſſitate, tertio die repetebatur, ſubiuncto veſperi decocto hordei ſuperius commemorato. Interdum rhabarbarum cum cremore tartari exhibitum fuit, ſed tardius operari viſum eſt, vel nonnumquam plane nihil effecit. Tamarindorum eximius etiam in iis vſus erat, vbi vomitoria dari non poterant, vt in hernioſis. Ex opiatis interdum laudano liquido SYDENHAMI opus fuit, quod autem morbum protraxit et absque vſu rhabarbari damnum intulit. Infuſum chamaemeli, cui ſimul vis antiſeptica ineſt, tutius exhibebatur. Aduerſus tormina potus mucilaginoſi demulcentes et clyſteres ex gummi arabico, ſi inteſtina ea retinebant, conducebant. Teneſmus non niſi euacuantibus cedebat. Quamquam autem rhabarbarum in dyſenteria recenti tam efficax non erat, quam tamarindi: maior tamen eius virtus in morbo inueterato vel grauiore, ad finem vergente, vel in torminibus, cum obſtructione alui coniunctis, apparebat. Vbi inteſtinis robur addendum erat, anima ipſius vel elixir viſcerale HOFFMANNI exhibebantur. p. 80.

Caput ſextum effectus aliorum remediorum recenſet. Cl. Auctor ipſe exempla quaedam refert, vbi dyſenteriam aliis temporibus et hac ipſa epidemia longiore, quam opus erat, curatione tractaverat, quamquam nullum inde damnum proficiſcebatur, erroresque, a ſe commiſſos, laudando et ingenuo candore confitetur. Anima enim rhabarbari morbum non adeo valide impugnabat, nec putredini adeo reſiſtebat: p. 107.

ſiſtebat: quare fieri non poterat, quin ille protraheretur. Neque puluis ipſius ſufficiebat, licet cremor tartari eidem iungeretur. Cum ergo Noſter vſum tamarindorum cognitum perſpectumque haberet, aliis remediis opus non habuit: experimenta tamen, in eodem morbo cum vitro antimonii cerato a Cl. MOEHRLIN et cum fructibus horaeis vuisque a Cl. KELLER capta, recenſet.

p. 134. Caput ſeptimum damna remediorum adſtringentium et ſtypticorum, aromatum vini et ſpirituum deſtillatorum fuſe enumerat, et cum DEGNERI et TISSOTI teſtimoniis, tum ſuis aliorumque medicorum experientiis confirmat. Dolendum eſt, non imperitam tantum plebem turbasque agyrtarum hac methodo in ſociorum detrimentum vti, ſed ipſos etiam medicos, auctoritati aliorum innixos, eadem via incedere: nos certe obſtupuimus, cum legeremus, medicamenta calida et adſtringentia in edictis, ab ipſis ſummis magiſtratibus in dyſenteriis epidemicis annorum 1727 et 1750 latis, ſuaderi, inprimis cum prior, ipſismet confitentibus, inflammatoria fuerit.

p. 187. Caput octauum, praeiudicia exponens, quae intentioni magiſtratuum, laboribus medentium et clarae voci rationis repugnabant, dilucida teſtimonia triſtis illius experientiae exhibet, maiorem vbius vim erroris eſſe, quam veritatis, omnesque gentes praeconceptarum opinionum iugo colla ſua ſubdere. Collegia magiſtratuum edictum e roſtris facta, habita peculiari oratione, in eum finem directa, concioni praelegendum curabant, quod praeſtantiſſima monita de tuenda ſanitate morboque praecauendo continebat, medicos, quibus a magiſtratu cura aegrorum, eo morbo affectorum, tradita erat, indicabat et pauperibus remedia per medicos et reliqua vitae ſubſidia per concionatores gratis diſtributum iri pollicebatur. Quanta in ciuium ſalutem vigilantia! quantus

quantus amor patriae! verum haec omnia ſucceſſu optato caruerunt. Cauſſas irriti huius euentus Cl. Auctor in his ponit. Rudis plebecula pauciores ideas habet, quam politior hominum pars: ſed hae ipſae eo pertinaciores ſunt. Inter has ſordida auaritia non vltimum locum occupat. Quicquid ergo manifeſtum vſum non declarat, negligitur, ideoque ſaepius vxor et liberi in perniciem dantur, quam iumenta. Porro praeiudicium de fato ineuitabili ruſticos ab vſu auxiliorum auocat: ſi enim morbus fatalis eſt, auxilium medici fruſtra quaeritur; ſin minus, nec tunc eo opus erit, quia natura ipſa morbum tollet. Aliud eſt praeiudicium, morbum vni remedio ex inſtanti cedere oportere. Accedit auctoritas, quam agyrtae in mentibus illorum ſibi conciliant et medicamentis, cauſſam morbi obtundentibus, at non vincentibus, augent; tandemque neglectus diaetae, ex opinione, ſaluberrima quaeque eſſe, quae natura et appetitus expoſcant. Augent hanc pertinaciam interdum conſilia ipſorum concionatorum et, quod maximum eſt, exempla curationum, hoc vel illo remedio prohibito peractarum, quae auide arripiuntur et, nulla corporum gradusue morbi habita ratione, vbiuis applicantur.

Caput nonum meditationes exhibet, qua ratione p. 238.
haec praeiudicia ruricolarum infirmari queunt: quod quidem aeque ac praecedens non ad Heluetos ſolum, ſed ad alias etiam gentes applicari poteſt. Duplex momentum conſiderandum eſt: alterum, vt ea, quae progreſſum veritatis impediant, remoueantur; alterum, vt plebs inſtruatur. Ex impedimentis primum in auctoritate medicaſtrorum apud plebem conſiſtit. Non ergo ſufficit, vt ſummi magiſtratus tantum de ea infringenda cogitent; inferioribus potiſſimum hoc iniungendum eſſet. Poena de medicaſtris repetenda efficacior eſſet, ſi honorem illorum

tangeret, quam mulcta. Alterum praeiudicium in facilitate aegrorum hebetis ingenii poſitum eſt, qua conſilia omnium, qui eos viſitant, ſequuntur. Haec ſtupiditas eodem modo tolli poſſet, quo varia ſuperſtitionis genera ſublata ſunt, quibus apparitiones, ſpectra et centena alia ortum ſuum debuerunt. Quod autem alterum momentum ſpectat, ruſtici duplici modo inſtrui poſſunt: vel calendariis, vel viua voce oratorum ſacrorum. Quod ad primum attinet, Suecia et nuper demum Palatinatus egregia hac in re exempla dederunt; nec in ipſa Heluetia hic modus abſque fructu tentatus eſt. Ad obtinendum alterum finem concionatoribus lectio libri Tiſſotiani aſſiduo commendatur et viri quidam venerabiles cum laude nominantur, qui gregis, ſibi commiſſi, curam et in morbis corporis fidelem egerunt.

p. 313. Caput decimum idque vltimum alteram fere partem totius operis ſiſtit, et monita quaedam de dyſenteria in genere complectitur. Differentia, quae inter dyſenteriam cum febre et ſine ea ſtatuitur, vaga eſt: haec enim potius diarrhoea dici deberet, cum vera dyſenteria ſaltem ſub initium ſemper febrem comitem habeat, quamquam nunc maiorem, nunc minorem. Nonnumquam paucis ante mortem diebus febris prorſus abeſt, cum inflammatio in gangraenam tranſiit. Multum tamen refert ſcire, cuius indolis febris ſit, inflammatoria, putrida, maligna e. ſ. p. aut num vna febris ſpecies in aliam tranſeat. Febris maligna dyſenteriae potiſſimum ſuperuenit, ſi plures aegri in loco anguſto, renouationem aëris non libere admittente, continentur, quod experientiae Cl. PRINGLE euincunt. Differentia inter dyſenteriam benignam et malignam melius fundata eſt: ſed ſaepe ambo genera difficulter a ſe inuicem diſcernuntur. Eadem quoque ratio eſt contagioſae indolis huius morbi. Species eiusdem

dem a variis varie determinatae ſunt. Cl. DEGNERUS immerito dyſenteriam bilioſam cum maligna coniunxit et e contrario rubram, albam, mucoſam, tamquam diuerſas ſpecies aſſumſit. Alii cineream, ſiccam, acidam aſſumſerunt. Fluxus inteſtinorum poſt inflammationem et ſuppurationem, ſiue etiam cancrum harum partium, fluxus hepaticus, pus ex ductu pancreatico, in inteſtina transfluens, haemorrhoides cum dolore fluentes, aliaeque euacuationes ſanguineae per anum immerito ad dyſenteriam referuntur, ſi aliorum morborum ſymptomata vel ſequelae ſunt.

Dyſenteria autem proprie ſic dicta ſeu idiopathica quatuor potiſſimum ſpecies complectitur: inflammatoriam, bilioſam, quae frequentiſſima eſt, malignam, tandemque chronicam. Prima per ſigna inflammationis ſe prodit. Secunda ea ipſa eſt, quae obiectum huius libri ſiſtit. Tertia non grauiores gradus priorum complectitur, ſed ex coniuncta febre maligna cognoſcitur, ſiue ea a cauſſis externis occaſionalibus, ſiue ab internis praediſponentibus orta fuerit. Chronica ex quacunque ſpecierum reliquarum male tractata originem ſuam ducit. Expoſita prognoſi, ad curandi diuerſas methodos Cl. Auctor progreditur. In inflammatoria venaeſectio, eaque ſi opus eſt, repetita, clyſmata emollientia, ſed partitis vicibus, ne repellantur, ingerenda; remedia emollientia, externe et interne applicata, et in fine morbi anima rhabarbari paruis doſibus cum emulſionibus amygdalinis adhibenda ſunt. Teneſmus, ſaepe poſt inflammationem inteſtini recti remanens, venaeſectionem, clyſmata repetita et inprimis hirudines exigit. Nocent in hoc morbo euacuantia quaecumque, opiata, aromatica et adſtringentia. In ſecunda ſpecie venaeſectio ex peculiari ſtatu indiuidui cuiuſuis admittenda vel fugienda eſt: ſi locum habet, hoc non

niſi in principio morbi in corpore plethorico fieri poterit. Quod vomitoria ſpectat, ipecacuanham in refracta doſi Noſter ad mentem Anglorum dedit, non tamen adeo inſignes ab ea effectus vidit, niſi quod eo modo magis deorſum euacuauerit. Interdum etiam vomitorium repetere conducit. Quum vomitorium effectum ſuum abſoluit, protinus purgantibus inſiſtendum eſt, nec de viribus aegrorum metuendum, quae potius, materia peccante eiecta, reſtaurantur, quam cadunt. Sin autem purgantia ſaburram expellere nequeunt, mors eodem modo ſubſequitur, ac ſi medendi methodus peruerſa adhibita fuiſſet, cuius rei exemplum memoratu dignum recenſetur. Occurrunt interdum caſus, vbi purgantia mitiora ex tamarindis manna et ſalibus vomitu reiiciuntur: tunc anima rhabarbari praeſtat, quamquam lentius agit; nonnumquam tamen, purgantibus praemiſſis viam parat. Obiectio Cl. DEGNERI, a ſalibus inteſtina nimis ſtimulari, ex iuſta diſtinctione inter dyſenteriam inflammatoriam et malignam tollitur. Reliqua, quae de curatione huius ſpeciei adduntur, ea amplius illuſtrant, quae ſuperius iam dicta ſunt. Veſicatoria, a Cl. TISSOT commendata, ſuo tempore egregium vſum praeſtant. Quod ad diaetam ſpectat, duo exempla memorabilia enarrantur, quae validos effectus impatientiae et iracundiae declarant. Vbi recidiuae metus eſt, Cl. PRINGLIUS diaetam eandem, quam in morbo ipſo, cum lenibus roborantibus ſuadet: Cl. Auctori vero ſola anima rhabarbari ſufficiens videtur. Sin vero morbus iam recruduit, laxantibus et lubricantibus, nonnumquam etiam emeticis, opus eſt. Tandem methodus, qua Cl. DUNCAN in curanda hac ſpecie vſus eſt, enarratur, eiuſque imitatio diſquirentibus commendatur. Vltimo loco vſus euacuantium fortiorum et nitri, quod reſoluendo putredinem magis auget, diſſuadetur.

In

In curatione dyſenteriae malignae primum aëris purioris ratio habenda eſt. Venaeſectio vires infringit, neque ideo tuto adminiſtrari poteſt. Euacuantia quaecumque in deiectionibus colliquatiuis nocent: tunc cardiacis et roborantibus opus eſt. Alias euacuantia primarum viarum a ſtatu aegri indicantur: interdum etiam natura ſudores molitur, qui ſuſtentandi ſunt. In priori caſu poſt vſum rhabarbari, omni bihorio ipecacuanha a duobus ad quatuor maxime grana ex iuſculo leniori cum radicibus blandis nutrientibus cocto, exhibenda eſt, quo vires ſuſtineantur; quae ſi huic ſcopo non ſufficiant, pauxillum panis cum iuſculo coquendum, eique vinum generoſum acidulum hic iungendum eſt. Inſignis enim eſt vini vſus in morbis malignis. Acida ſola non conueniunt, ſed praeſtat, infuſo ex aqua calida cum malis aurantiis recentibus, in taleolos diſſectis et tantillo ſacchari conſperſis, vti: at in maiori virium proſtratione ſoli vino locus eſt. Clyſteres emollientes et pingues nocent; ſi quis iis locus eſt, tantum ſeptem vel octo vncias habeant et ex plantis amaris, chamaemelo, meliloto, trifolio fibrino conſtent. Magna et hic veſicatoriorum vtilitas eſt. In ſumma vero proſtratione virium, pulſuque fere deficiente corticis Peruuiani, camphorae, moſchi, extracti croci, ſummus vſus eſt: ſed ſummam etiam circumſpectionem in his remediis adhiberi oportet. Idem de ſopientibus et adſtringentibus valet.

In dyſenteria chronica curatio difficillima vel nulla eſt. Enarratur tamen exemplum curationis, a Cl. SCHMID DE BELLICON praeſtitae, qui, praemiſſis praemittendis, normam Cl. HUXHAMI ſequutus, aqua frigida, per interualla hauſta, ſubiuncto vſu lactis tepidi, eiuſmodi rebelle malum ſuſtulit. Simaruba, tantis laudibus decorata, eo tantum in caſu valet, vbi roborandum eſt, non autem, vbi abſtergendum. p. 488.

gendum. Optima medendi methodus eſt, ſi praemiſſo, vbi opus fuerit, vomitorio, laxantia, ſtatui aegri accommodata, ex rhabarbaro cum manna vel tamarindis vel copioſa clyſmata oleoſa exhibeantur, vt ſcybala duriora ſenſim euacuentur, animam rhabarbari in morbo hoc praeſtantiſſimum remedium eſſe, Cl. Auctor expertus eſt: interponenda tamen ſunt euacuantia, donec tormina ac teneſmus ceſſauerint. Methodus Cl. BROCKLESBY, ipecacuanham cum opio coniungendi, non ſemper exſpectationi reſpondit. Vinum et remedia adſtringentia non niſi cum ſumma prudentia in vſum vocari debent.

p. 510. Pertractatis his dyſenteriae ſpeciebus, remedia quaedam, ei oppoſita, conſiderantur, inter quae vitrum antimonii ceratum primum locum obtinet, quod tamen ob doſin non ſatis determinandam incertum eſt, et in dyſenteria inflammatoria et maligna adeo noxium. Radix ſalab mucilaginoſa quidem eſt, ſed non nihil ſimul adſtringens, ideoque caute adhibenda: ceterum virtutis ſpecificae nullius, aeque ac ſego. Gutta gambir potiſſimum cum terra catechu conuenit, et hanc ob rem in plerisque caſibus exſulat; ſic etiam cortex mangoſtan, qui virtute ad corticem granatorum accedit. Codaga pala ſeu coneſti cortex medicamentum amarum eſt, nec alia aromatica amara virtute ſuperat; imo ob vim narcoticam, neruis infenſam, ſuſpectum dici debet. Corticis guyauae et radicis pocgerebae virtutes nimis adhuc dubiae ſunt. Specificorum et ſuperſtitioſorum epicriſis finem totius operis facit.

IV.

IV.

CAROLI GUILIELMI POERNER, M. D. Selectus materiae medicae in vſum praelectionum academicarum. Lipſiae, apud Chriſtianum Gottlob Hilſcher. 1767. 8. alph. 1. pl. 2.

Diuerſam in conſcribendis libris de materia medica ab Auctoribus obſeruari methodum, conſtat. Alii enim doctrinas de materia medica ad ſolum tantum ordinem alphabeticum pertractant; alii ſecundum tria naturae regna corpora, viribus ſalutaribus inſtructa, conſiderant; alii rurſus ad partes corporum conſtutiuas reſpiciunt, aliique, propius adhuc ad rem accedentes, qualitates, per guſtum et olfactum detegendas, perpendunt, ſicque corpora coordinant, alii demum ad effectus corporum, in corpore humano obſeruandos, attendunt. Vltimam hanc methodum in libro, qui in manibus nunc eſt, obſeruari, deprehendimus. Licet autem haec vel illa methodus, ſi obſeruatur, vtilitatem quandam praeſtet, ea tamen methodus, qua corpora ſecundum vires conſiderantur, Noſtro eam ob rationem arridet, quod diſcentes et iuniores practici de genuino vſu medicamentorum, per experientiam comprobatorum inſtruuntur, atque ii, qui in praxi iam verſantur, ad indicationes remedia ſtatim habeant, quae cauſſis morborum opponere poſſunt. Ita autem rem pertractauit Noſter, vt, recepto iam a veteribus more, medicamenta in genere in *euacuantia* et *alterantia* diuideret. Cum autem materiae morbificae non ſolum per primas vias, ſed etiam per alia colatoria expellantur, euacuantia rurſus in varias claſſes diuiduntur. Sic ſectio prima *euacuantia primarum viarum* ſiſtit, quae vel *emetica* vel *euacuantia per alvum* praebent; haec autem pro diuerſa operandi modo

modo vel *laxantia*, vel *lubricantia*, vel *purgantia* vocantur. Sectio secunda de *euacuantibus secundarum viarum* agens, 1) *diaphoretica;* 2) *diuretica;* 3) *masticatoria;* 4) *sialagoga;* 5) *sternutatoria;* 6) *emmenagoga* considerat. Posterior pars, quae *alterantia* continet, sectiones tres sistit. Prima nimirum medicamenta, quae in fibram solidam agunt, considerat, quae sunt 1) *irritantia;* 2) *emollientia;* 3) *exsiccantia;* 4) *conglutinantia*, quae vel nutrientia vel roborantia sunt, haec autem iterum in *adstringentia, roborantia stricte sic dicta* et *carminatiua* diuiduntur. Sectio secunda *medicamenta* pertractat, *quae in sanguinem agunt.* Considerantur itaque 1) *incrassantia*, quae in *inspissantia* et *condensantia* diuiduntur; 2) *attenuantia*, quae vel *diluentia* vel *resoluentia* sunt; 3) *immutantia*, quae in *inuoluentia et corrigentia* diuiduntur, corrigentia autem vel *antiputrida*, vel *antacida*, vel *medicamenta* sistunt, *quae acrimoniam salsam corrigunt.* Sectio tandem tertia, de *neruinis* agens, quatuor eorum classes exhibet, et 1) *excitantia;* 2) *analeptica;* 3) *antispasmodica;* 4) *sedantia* considerat. Appendicis loco doctrina de anthelminticis subiungitur. Ad finem doctrinae *syllogen remediorum* tum simplicium, tum compositorum et eorum quidem, quae secundum principia chemica et ad varias indicationes therapeuticas composita, ipse maximam partem usu comprobata habet Cl. Auctor, subnectere placuit, hanc quidem ob rationem, vt auditores, quibus olim in addiscenda hac doctrina praeuit, modumque, medicamenta ex simplicibus rite componendi exhibuit, vno quasi intuitu remedia, in singulis capitibus seu classibus occurrentia perspicere, ac saepius legendo memoriae melius imprimere possint. Sic dictum formulare addere Nostro non libuit, cum ad conscribendas formulas, secundum artem pharmaceuticam et secundum indicationes

nes rite componendas, integro libello opus ſit, ipſi autem in hoc libro cognitionem tantum remediorum, in praxi vtilium, communicare placuit. Haec itaque eſt generalis huius libri ratio; quod ad ſpecialiorem tractationem attinet, ſtatim notandum eſt, ſelectum tantum remediorum a Cl. Auctore communicari, ſiquidem librum, in uſum praelectionum conſcriptum, de omnibus corporibus, quibus vires ſalutares adſcribuntur, tyrones cum fructu inſtruere non poſſe, immo laborem difficillimum fereque fruſtraneum eſſe, autumat. Itaque in qualibet claſſe vſitatiſſima et ſcitu neceſſaria expoſuit, minus vſitata vel quibus medentes carere poſſunt, ſub finem cuiuslibet claſſis coniunctim paucis conſiderauit; alia nondum ſatis per experientiam probata et ſuſpectae fidei vel tantum nominauit, vel plane omiſit. Singula medicamenta, ad ſuas claſſes referenda, ita pertractauit, vt nomine locoque natali indicatis, primo ad notas bonitatis, deinde ad ſaporem et odorem, tum ad partes conſtitutiuas, porro ad praeparata, ex ſimplicibus conficienda, tandem ad vires et vſum reſpiciat, ſemel autem explicata, ob alias indicationes ad alia capita reuocanda, quoad vires tantum et vſum conſideret. Cum autem Noſtro, ſic verſanti, remedia obuenerint, quae, per artem chemicam producta, viribus ſingularibus praedita ſunt, multa etiam pharmaceutica remedia, quae plerumque in libris de materia medica minime explicantur, quorum tamen indoles et vſus genuinus tyronibus itidem explicandus eſt, ſuo loco inſeruit et pleraque eorum eadem fere ratione, vt ſimplicia, expoſuit.

In prolegomenis, vbi oſtendit Noſter, quomodo cuiuslibet remedii cognitio hiſtorica et phyſica acquirenda ſit, praeter chemicam artem, cuius ope mixtiones et partes conſtitutiuae deteguntur, ad ſaporem et odorem attendendum omnino eſſe, innuit. p. 1.

Examine

Examine enim per guſtum et olfactum rite inſtituto, multas qualitates remediorum, antequam in corpore aegroto experientia colligatur, detegi, autumat; licet non neget, ſaepe etiam hac in re, niſi alia experimenta ſimul in auxilium vocentur, nos falli poſſe, ſiquidem res, quae neque linguam, neque nares afficiunt, inſignem nihilominus in corpore excitari poſſint mutationem. Perſuaſus interim eſt, nos de qualitatibus quibusdam accurate inſtrui, ſi linguae et naribus peculiaris imprimatur ſenſatio. Sic ſtimulus plus minus acris, linguae impreſſus, remedio vim ineſſe, denotat, quae fibram muſcularem plus minus irritat et ad motum ſubeundum aptam reddit. Adſtrictorius ſenſus, in lingua excitatus, particulas prodit, quae fibram vel conſtringunt, vel roborant, vel exſiccant. Ratione fluidarum partium corporis humani itidem nonnullas remediorum qualitates in lingua manifeſtari, autumat. Sic ex ſenſu adſtrictorio coniiciendum eſt, particulas ineſſe, quae fluida denſant et fluidiores particulas quaſi figunt. Sapor vel dulcis, vel acidus lenis, vel ſalſus, vel amarus, vel vrens, vel ex his mixtus particulas denotare dicitur, quae humorum corporis humani cohaeſionem diuidunt, ideoque eos reſoluunt. Pari quoque ratione olfactum qualitates quasdam eruere, putat Noſter, et tales omnino; quae ſubtiliores multo ſunt, nec non a particulis multo tenuioribus, in neruos eorumque fluidum praecipue agentibus, pendent. E. g. corpora, odore grato, reficiente et refrigerante quaſi praedita, medicamenta ſiſtere, aſſerit, quae fluidum nerueum augeant, eius motum leniter promoveant, fibram vero muſcularem ſtimulent et humores attenuent. Sic autem alios odores alias qualitates prodere, Noſter oſtendit. Licet vero examen hoc, per guſtum et olfactum ſuſceptum, ſi rite inſtitutum fuerit, raro, vt Noſter putat, quemquam fallat,

lat, tamen cum ſubſtantiae rebus admixtae ſint, quae obſcure tantum tum in guſtu, tum in olfactu percipiuntur, ad experientiam vltimo, ad lectum aegrotantis inſtituendam, confugiendum eſſe, monet.

Quod ad medicamenta attinet, quae in hoc libro pertractantur, diu quidem cognita et crebro vſu comprobata in eo deprehendimus, ita autem expoſita, vt oſtendatur, quomodo de indole, viribus et vſu genuino cuiuslibet medicamenti cognitio acquiri poſſit. Cum itaque cauſſae morborum variae ſint atque diuerſae, idioſyncraſia cuiuslibet aegri itidem diuerſa deprehendatur, et medicamenta pro indole diuerſa et pro diuerſa praeparatione diuerſimode agant, Noſter eo ſemper reſpexit, vt medicamenta, naturae aegrotantis conuenientia et cauſſis morbificis aduerſa, exponeret. Licet enim medicamenta optime ſaepe indicationibus generalibus reſpondeant, naturam tamen aegri et indolem morbi indicatum medicamentum ſaepe reſpuere, experientia docet. Sic v. c. notiſſima radix rhabarbari medicamentum purgans eſt; nunc autem hoc remedium, licet purgans in morbo quodam indicetur, ob aegrotantis naturam atque morbi indolem exhiberi nequit: hinc primo ad vires huius radicis purgantis ex mixtione et indole particularum conſtituentium declarandas, poſthac autem ad vſum attendendum eſſe, innuit. Oſtendit itaque primo, hanc radicem ob particulas gummoſas, terreo-mucilagineas et acido-terreas, in quibus ſubſtantia nauſeoſa et amaricans, ex odore et ſapore dignoſcenda, contineatur, fibras inteſtinales ſtimulare, neruos eorumque fluidum mouere, humores allicere, viſcidum pituitoſum aggredi et partim ſoluere, caeterum humores inuoluere, et corpus exſiccare, roborare. Quod autem ad vſum huius radicis purgantis attinet, Noſter monet, iuuare inprimis, vbi laxitas inteſtinorum et

p. 7.

p. 32.

aquoſa acidaue humorum indoles deprehendatur; minus conuenire bilioſis, atrabilariis, nocere ſiccis et vbi ſpaſtica inteſtinorum conſtrictio et ſiccitas alvum claudat. Cum vero medicamentorum vis pro diuerſa praeparatione variet, ad hoc etiam momentum attendit Noſter, ideoque oſtendit, rhabarbari infuſum aquoſum aliter paulo agere, quam rhabarbarum in ſubſtantia exhibitum, illudque minus exſiccare et parum roborare, atque ſic dictam animam rhabarbari, ope liquorum ſalinorum paratam, leniſſime euacuare, neque adeo exſiccare, vix roborare, nunquam relaxare, ſyrupum demum rhabarbari tenellis non ſine fructu exhiberi. Pari ratione alia purgantia a Noſtro conſiderantur; ſed in commemorato hoc exemplo, rem ſatis illuſtrante, acquieſcimus.

p. 41. Caput de *diaphoreticis* breuiſſimum animaduertimus. Medicamenta enim, ab aliis diaphoretica dicta, humores quidem mouere et expandere, ſed absque aqua calida vel aceto calido vel etiam absque regimine calido vix per cutem euacuare, autumat. Itaque praeter aquam calidam et acetum calidum nullum remedium diaphoreticum agnoſcit, diaphoreticam tamen vim huius illiusue fluidi pro diuerſitate remediorum augeri poſſe, fatetur.

p. 58. Inter *ſialogoga* mercurium viuum et mercurium dulcem remedia praecipua eſſe, quibus vis ſalivans adſcribatur, Noſter notat. Saliuationem a mercurio viuo ob qualitates, ipſi ſoli proprias, nimirum ob pondus, ob figuram ſphaericam et ob inſignem diuiſibilitatem produci, triplicemque hanc qualitatem ſemper coniunctam requiri, demtaque vna, vim ſaliuantem tolli, autumat. Cum in mercurio dulci globuli mercuriales cum acidis particulis mercurii ſublimati corroſiui arcte non cohaereant, hocque medicamentum partim ob globulos mercuriales

riales partim ob ſalinas particulas agat, vim ſaliuantem etiam exſerere, ſaepius autem ſublimatum mercurium dulcem, ob id, quod mere ſalinum corpus euadat, hoc effectu deſtitui, Noſter aſſerit. Caeterum, vſum mercurii externum ad excitandam ſalivationem non laudat, nec vnquam applauſum eorum, qui mercurium cognoſcant, mereri putat.

De *emollientibus* Noſter agens, inter praeparata pharmaceutica emplaſtri diachyli ſimplicis mentionem facit, cui vero aliud emplaſtrum, ex ſeui cervini parte vna et cerae flauae, nec non colophonii partibus duabus paratum, commode ſubſtitui poſſe, putat, idque idem praeſtare, ſaepeque meliori cum ſucceſſu, quam diachylon ſimplex vſurpari, expertus eſt. p. 86.

Aquam calcis viuae, ſi recenter parata ſit, cauſticam vim, cum exſiccante coniunctam, exſerere, diu vero et negligenter aſſeruatam, exſiccantem tantum vim habere, oſtendit. p. 101.

Inter *conglutinantia* remedia amplum caput de *nutrientibus* collocatum legimus. Praecipue autem in omnibus, quae nutrientem facultatem exerceant, corporibus ad gelatinoſam ſubſtantiam, magis vel minus elaboratam, reſpiciendum eſſe, omnemque gelatinam conglutinantem vim habere, atque aliam citius, aliam tardius vel nunquam hanc facultatem amittere, aliam porro gelatinam animal quoddam nutrire, quod ab alia, aliud animal nutriente, non obſeruatur, immo eandem ſaepe gelatinam, quae animal in ſano ſtatu nutriat, ſanitate labefactata, vel non nutrire, vel etiam adeo nocere, oſtendit. Praeterea ipſam gelatinarum mixtionem differre, et alias, dum tenacitatem amittant, in alcaleſcentem ſubſtantiam, alias in aceſcentem commutari, monet. Cum autem Cl. Auctor in hoc libro ſemper ad morboſum ſtatum reſpiciat, de omnibus corporibus, quae p. 104.

nutrientem facultatem habent, hic actum non esse cernimus, sed de iis tantum, quae in hoc vel illo statu aegroto propinari possunt. In genere itaque duplicem classem constituit, primoque de vegetabilibus, posthac de animalibus, quae nutriunt, agit. Gelatinas vegetabilium ad acescentem naturam vergere, hasque ipsas ob adiunctas partes alias, non nutrientes, vim medicamentosam praestare, ideoque diuersimode agere, Noster innuit. Sic in morbis acutis et inflammatoriis, si victus nutriens et humectans cardiacus indicetur, cerasa et poma exiccata nutrimentum largiri, si idem magis lubricans et humectans necessarius sit, pruna praestare, sique refrigerans expetatur, cerasa et fraga recentia conuenire, ostendit. In vniuersum autem notat, fructus hos vegetabiles egregia esse alimenta, quae ob elaboratam gelatinam vires digestionis non sollicitent, et ob adiunctas particulas medicatas caussis morbosis resistant, easque non raro destruant. Eadem ratione nutrientia, ex animali regno petita, considerat, pariterque ostendit, quomodo eorum nutriendi facultas pro diuersa carnium indole proque diuersa viscerum digerentium vi variet, quoue in casu hoc vel illud corpus eligendum sit.

p. 122. *Roborantia* medicamenta a Nostro in *adstringentia*, *roborantia stricte sic dicta* et *carminatiua* diuiduntur. *Adstringentia* Ei sunt, quae ex particulis acidis, cum terreis arcte coniunctis, constant; *roborantia* vocantur, quae cum acidis terreisue mucilagineas aut glutinosas substantias coniunctas habent; *carminatiua* autem, quae cum particulis acido-terreis glutinosisque resoluentes et aromaticas et balsamicas immixtas fouent. Sic alumen et pleraque praeparata martialia, inprimis omnes croci martis, cum ex meris tantum particulis terreis cum acidis coniunctis constent, adstringentibus adnumerantur; peruuia-

nus

aus vero cortex, qui particulas acido-terreas cum mucilagineis coniunctas habet, roborantibus accenſetur. Aſt caſcarillae cortex, caſſia lignea, radix zedoariae et eiuſmodi alia, cum non ſolum particulas acido-terreas cum mucilagineis coniunctas, ſed etiam alias acres aromaticas vel balſamicas partes adiunctas foueant, ad carminatiua remedia referuntur.

Incraſſantia remedia a Cl. Auctore vocantur, p. 168. quae ſoliditatem et cohaeſionem partium, humores et inprimis ſanguinem conſtituentium, augendo fluiditatem humorum minuunt. Alia, quae globulos ſanguinis integros inuiſcant, et cohaeſionem in aggregatione augent, ſicque ſanguinem ſpiſſum reddunt, *inſpiſſantia* nominantur, alia autem, quae ipſos ſanguinis globulos penetrant, eorumque partes conſtituentes arctius connectunt, ſicque denſitatem ſanguinis et, fluidiores partes figendo, totius inſimul maſſae, in aggregatione conſtitutae, cohaeſionem augent, *condenſantium* nomen habent. Ad priorem claſſem plurima medicamenta reuocantur, quae in capite de emollientibus pertractata ſunt, e. g. radix ſcorzonerae, radix althaeae, decocta ſeminum cerealium aliaque plura. Ad condenſantia autem omnia medicamenta, quae reſpectu fibrae ſolidae vim adſtringentem et roborantem edunt, pertinere, inter cuncta tamen corticem Peruuianum et martialia cum fructu vſurpari poſſe, Noſter autumat.

Attenuantia remedia in *diluentia* et *reſoluentia* di- p. 175. viduntur: illa ſunt, quae integros humorum globulos, mixtione ſtatim non turbata, a ſe inuicem ſeparant, partesque ſuas fluidiores interponendo, fluiditatem augent. Vnam vero in natura tantum reperiri ſubſtantiam, diluente vi praeditam, ſique aqua pura excipiatur, aliam nullam eſſe, Noſter aſſerit. Reſoluentia eas vocat ſubſtantias, quae non ſolum cohaeſionem fluidorum in aggregatione, ſed etiam

cohaeſionem partium, globulos fluidorum conſtituentium, minuunt vel tollunt. Ampliſſimam hic deprehendimus tractationem, ita quidem, vt duplex omnium reſoluentium conſtituatur claſſis. Alia enim Noſtro ſunt *reſoluentia*, *quae refrigerant*, alia, *quae calefaciunt*. Licet autem haec diuiſio primo intuitu omnibus arridere non videatur, tamen, ſi data explicatio ponderetur, Cl. Auctorem a vero non aberraſſe, putamus. Refrigerantia vocat, quae denſitatem humorum minuunt, partesque eorum inflammabiles adeo diſiungunt, vt ob copioſas partes non inflammabiles interpoſitas omni momento impediantur, quo minus, vi vnita, in ſolida agere queant, eaque ad reactionem viuidiorem diſponant. Inter haec complura ſalia media, nonnullasque alias ſubſtantias ſalinas, v. c. mercurium dulcem, cremorem tartari cet. nec non herbas et radices quaſdam lacteſcentes, v. c. lactucam, radicem bardanae, herbam et radicem ſaponariae cet. immo antimonium et nonnulla eiuſdem praeparata eminere, Noſter autumat, ideoque indolem eorum, nec non vires et vſum explicat. Ex his notamus, nitrum flammans, quod ex alcali volatili, cum acido nitri ad ſaturationem vſque commixto, per euaporationem et cryſtallifationem paratur, quodque hactenus in medicina clinica vix locum inuenit, a Noſtro, vt ſal commendari, quod reliquis ſalibus nitroſis profundius penetret, inque reſoluendo coagulo inflammatorio, in vaſculis minutiſſimis haerente, maiorem effectum edat. De vſu mercurii ſublimati corroſiui, qui hodie ad morbos venereos adeo ſolemnis eſt, monet, bene perpendendum eſſe, remedium hoc gluten ſolidorum naturale etiam aggredi, attenuare, denſitatem humorum fere tollere, acres humores acriores reddere, et glutinoſam lymphae nutrientis naturam mutare. Hinc, ſi acrimonia quadam humores peccent,

cent, nocere, immo, ſi tennitas humorum adſit et nutritio deficiat, vſum eiuſdem periculoſiſſimum habendum, nec, niſi viſcidum adſit, exhibendum eſſe, innuit.

Reſoluentia, quae cnlefaciunt, aut ad minimum p. 199.
calorem non minuunt, tales ſunt ſubſtantiae, quae quidem denſitatem humorum minuunt, et humores fluidiores reddunt, ſed vel partes aquoſas ſubducunt, vel inflammabiles augent et acriores reddunt, ideoque efficiunt, vt partes inflammabiles non quidem arctius vnitae, ſed in aggregatione auctae maiori in copia in ſolida agant, atque haec ipſa, cum ob copioſiores partes inflammabiles magis irritabilia euadant, ad reactionem viuidiorem diſponant. Ad hanc igitur claſſem Noſter refert multas herbas et radices amaras, radices alias acres et aromaticas, fel taurinum, lignum guaiacum et lignum ſaſſafras, tincturas antimonii alcalinas, ſaponem venetum, fuliginem, balſama naturalia, et gummi reſinas, tandem flores ſalis ammoniaci martiales.

Sub *immutantis* remedii nomine ea Cl. Auctor intel- p. 239.
ligit, quae in acrimonias humorum agunt, easque ita mutant, vt vel minus efficaces euadant, vel plane deſtruantur, priſtinamque indolem exuant; haecque remedia in *inuoluentia* et *corrigentia* diuidit. *Inuoluentia* ſunt, quae ſolidas corporis partes adeo obducunt, humorumque partes acres ita obuelant, vt irritabilitas imminuatur, et ſenſiles partes eo diſponantur, vt dolor minus percipi queat. Pertinent ad haec remedia gelatinoſa, mucilaginea, gummoſa, olea vnguinoſa cet. *Corrigentia* ſunt, quae acrimoniam humoribus inhaerentem aut admixtam invertunt, nouamque indolem, a priore diuerſam, inducunt. Triplex tantum eorum diſcrimen agnoſcit Noſter, et corrigentia cuncta in 1) antiputrida; 2) antacida, et 3) ea, quae ſalſam acrimoniam corri-

gunt, diuidit. Cum autem putredo in motu ſubſtantiae connectentis inteſtino et inde dependente ſalis alcaleſcentis vel purioris vel impurioris oleoſi euolutione conſiſtat, atque ad hanc rem bilis prae reliquis humoribus ad alcaleſcentem et putridam indolem inclinans multum quoque conferat, ad antiputrida etiam remedia ſic dicta antibilioſa et antalcaleſcentia referuntur, licet omnia remedia, quae in putrido corporis ſtatu vſurpantur, bili, acri factae, opponi nunquam poſſint. Inter alia, quae ad obtemperandum acidum morboſum, idemque corrigendum hic commendantur, laudatum inprimis deprehendimus ſal tartari. Melius iſtud ſemper operari, nec corpus adeo vehementer afficere, ſi parua portio e. g. ſcrupulus vnus cum libra vna aquae commiſceatur, haecque aqua alcaleſcens intra bihorium ſenſim ingeratur, Noſter aſſerit. Sique per aliquot dies remedium hoc continuetur, in morbis viſcidis, vbi acidum ſit, et concretiones a ſimili cauſſa ortae fuerint, multa praeſtare, inprimis, ſi verſus veſperam amara aut ſaponacea ſimul in vſum vocentur, perhibet. In prudentis tamen medici manu hoc remedium verſari debere, monet.

p. 261. Medicamenta, quae ad corrigendam acrimoniam ſalſam adhibentur, tantam efficaciam, vt acida et alcalina in corrigendis acrimoniis putridis, alcaleſcentibus et acidis oſtendunt, non habere, Noſter oſtendit. Vix enim indolem acrimoniae ſalſae ita inuerti putat, vt noua ſubſtantia ſalina, ab acido, alcalino et medio ſale diuerſa producatur. Haec tamen dicta remedia praeſtare aſſerit, vt acrimonia ſalſa minus efficax euadat et ita obtundatur, vt vires corporis ad eam expellendam eo magis idoneae fiant, quo parcius eaedem ab iſta acrimonia defatigentur. In obtundenda hac acrimonia dulcia inprimis eminere, eaque inuoluendo agere, aliaque

inuol-

inuoluentia remedia tanta efficacia non pollere, Noſter autumat. Cum praeterea ſalſa corporis humani acrimonia ad alcaleſcentem naturam facile vergat, dulcium autem ſubſtantia ſalina ad acidam naturam inclinet, inſignem eorum immutandi vim et efficaciam, quae inuoluentibus deſit, vlterius eluceſcere, ſibi perſuadet, et quaerit: an v. c. radices dauci et liquiritiae ob enarratas rationes prae aliis ad vlcera carcinomatica valeant?

De medicamentis, quae in neruos agunt, p. 264.
ideoque *neruina* vocantur, notat, ea quidem in fibram quoque muſcularem et ſanguinem aliosque humores agere, eorum tamen efficaciam in hos et fibram muſcularem minorem, quam in neruos eſſe. Cum etiam ſubtiles illae, a neruis receptae partes, vna eademque indole donatae non ſint, ideoque diverſas omnino in fluido nerueo excitent mutationes, varias Noſter et quatuor quidem conſtituit claſſes. Sic medicamenta, quae motum fluidi neruei intendunt, ipſumque fluidum nerueum augent, ſed non in omni ſtatu vires refocillatas relinquunt, a Cl. Auctore *excitantia* vocantur. Ad haec referuntur aromata varia in ſubſtantia exhibita, eorundem infuſa, multae aquae deſtillatae odoratae, complures ſpiritus abſtractitii odorati, plurima olea deſtillata aetherea, nonnullae eſſentiae ſpirituoſae, alcalia volatilia quaecunque, camphora.

Alia, quae ſecretionem fluidi neruei, eiuſdem- p. 279.
que copiam ſubito augent, motum et influxum eius promouent et vires cito reſtaurant, ſtatimque reficiunt, et refocillatas relinquunt, *analeptica* nominantur. Eiuſmodi medicamenta particulas admodum ſubtiles continere, et tales fere, quae reſpectu ſubtilitatis et ipſius indolis adeo cum fluido nerueo maxime conuenire videntur. Praeter vina, acetum vini et acida mineralia dulcificata

aliam nullam agnoſcit ſubſtantiam. Principium enim analepticum in ſubſtantia neruina excitante calefaciente, cum alia refrigerante coniuncta, conſiſtere, hasque ſubſtantias a natura in vino et aceto coniunctas eſſe, Noſter autumat. Si itaque remedium neruinum excitans et calefaciens cum acido vegetabili vel etiam minerali diluto coniungatur, remedia analeptica quam plurima per artem parari poſſe, aſſerit.

p. 288. *Antiſpaſmodica* a Noſtro vocantur, quae odore, caput grauante, ingrato ſe manifeſtant, fluidum neruum quidem augent, ſed motum eiusdem lentiorem reddunt et auctum compeſcunt. Licet vero multa ſint, quae principium antiſpaſmodicum contineant, praecipue tamen ſuccinum eiusque inprimis praeparata, porro ruta hortenſis, radix valerianae, gummi galbanum, aſa foetida et caſtoreum a Noſtro pertractantur. Ex his tantum notamus, caſtoreum quidem egregium praebere antiſpaſmodicum, ſed pro varia ſpaſmorum cauſſa, varie praeparandum et vel cum aceto vini, vel cum nitro, vel cum liquore cornu cerui ſuccinato exhibendum vel ſolum tantum infuſum aquoſum propinandum eſſe. Eſſentiam vulgarem, cum ſpiritu vini paratam, vix nominatam deprehendimus. Forſan eadem hanc ob cauſſam non commendatur, quod natura ſpiritus vini principio antiſpaſmodico aduerſatur, ideoque menſtruum conueniens pro antiſpaſmodicis largiri nequit.

p. 303. *Sedantia* demum remedia a Noſtro vocantur, quae in ſenſorio communi talem mutationem producunt, vt dolor ſeu cauſſa doloris vel minus vel ad minimum per tempus, nullo plane modo percipiatur. Inter multa, quae a nonnullis laudantur, vnice opium commendat Cl. Auctor. Hoc, opium nimirum, fluidum nerueum primo augere et attenuare, tum

tum in citiſſimum motum ducere et diſſipare, vaſis autem quibuſcunque nimium diſtentis, humoribusque attenuatis et copioſe ad caput deriuatis, preſſione ſimul oborta, in neruos, partes, fluidi neruei particulis craſſiores, intrudere, ſimulque ſecretionem dicti fluidi, tum ob appulſum partium craſſiorum, tum ob preſſionem imminuere, ideoque ob varias has cauſſas motum et influxum in partes prorſus fere impedire Noſtro videtur. Opium in ſubſtantia vel in puluere exhibere non laudat: nunquam enim doſin opii determinari poſſe, et ad granum vnum, in ſubſtantia propinatum, quietem aeternam interdum produxiſſe, perhibet. Optima exhibendi methodus Noſtro dicitur, ſi duo grana extracti opii in duabus tribusue vnciis aquae cuiuſdam deſtillatae ſoluantur, et medicamentum hoc per vices cochleatim ingeritur. Sic ſaepe parua doſi e. g. cochleare vno vel altero exhibito effectum laudabilem obſeruari, alio tempore plura cochlearia ſenſim ingerenda eſſe, antequam ſperatus effectus ſequatur, aſſerit. Hac autem ratione vſurpatum opium nunquam nocere, nec generoſum et actiuum hoc remedium vnquam metuendum eſſe, autumat. Inter ſic dicta remedia opiata non niſi extractum opii et laudanum liquidum SYDENHAMI vt praecipua commendantur.

Ex appendice de anthelminticis demum notamus, ſub anthelminticorum remediorum nomine omnia medicamenta, quae vermibus et inſectis, in corpore interne et externe reperiundis, aduerſantur, a Noſtro comprehendi, licet anthelmintica vi vocis remedia contra inteſtinorum lumbricos deſignare, non neget. Inter permulta prae reliquis ſemen cinae, ſemen et ſummitates tanaceti, allium, cepa, amara quaecunque, purgantia inprimis draſtica et amara, graueolentia nec non mercurialia commendantur. p. 309.

tur. Haec itaque ſunt praecipua, quae communicare licuit; vnum tantum monemus, deſiderari adhuc nonnulla, e. g. lilium conuallium, ſagu aliaque, quae omnino inter ſelecta medicamenta locum merentur, quae vero, vt certo ſcimus, lubenter non omiſſa, ſed meditanti Noſtro praeter voluntatem ſubrepta eſſe videntur.

V.

Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürch. Dritter Band. Zürch bey Heidegger und Compagnie. 1766. 8. 1 *Alph.* 6 *Bog. nebſt* 3 *Kupfertaf.*

i. e.

Acta ſocietatis naturae indagatorum Tigurinae. Tomus tertius.

Ex hoc volumine actorum ſocietatis phyſicae, quae Tiguri floret, quorum priora volumina alio loco indicauimus, ſequentes potiſſimum diſſertationes ad nos pertinent.

p. 1. *Delineatio laborum ſocietatis phyſicae, ſiue de diſciplinis, quas dicta haec ſocietas tractare inſtituit.* Diſſertatio haec a Cl. IOANNE GESNERO iam d. 18 octobr. 1746 praelecta, breuem delineationem ſcientiarum complectitur, quarum incrementum ſocietas phyſica promouere conſtituit.

p. 23. *Relatio de ſucceſſu inoculationis variolarum in nonnullis vrbibus Heluetiae.* Apparet ex hac collectione nonnullarum epiſtolarum Cl. SULZERI, MIEGII, SCHINZII, RAHNII et SCHERBII, etiam in ea Heluetiae parte, quae germanica lingua vtitur, inoculationem variolarum, ſtudio horum medicorum,

rum, vero patriae amore ductorum, inde ab aliquot annis saepius institutam fuisse, licet his viris clarissimis in hoc laudabili instituto cum multis praeiudiciis dimicandum fuisse, ex eorum narratione pateat.

Vidoduri Cl. SULZERUS anno huius seculi sexagesimo tertio septemdecim infantibus variolas artificiales optimo cum successu inplantauit, ex quibus duo vel tres, qui naturali contagio iam antea infecti erant, horum fonticulorum insitione excitatorum ope, leviorem morbum experti sunt. Ex nonaginta duobus vero aliis infantibus, qui naturales variolas eodem anno experiebantur, octodecim interierunt, atque quatuordecim ex variolis aliis grauioribus malis atque incommodis, v. c. ophthalmiis etc. affecti sunt. P. 23.

Basileae Cl. MIEG iam ab anno 1755 insitionem instituit, hicque historias novemdecim puerorum, qui ex inoculatione artificialibus variolis affecti sunt, communicat. P. 57. 175.

Tibialia e lana confecta, rubro colore imbuta, quibus pedes puellae cuiusdam Auctor Cl. induit, quo variolas ad has partes alliceret, exoptatum effectum minime praestarunt. Nullae enim ibidem variolae erupuerunt, forte ob perspirationem per illa excitatam, quae in cute balneorum et pediluuiorum ope relaxata, atque humoribus corporis in vniuersum praeparatione praegressa, quodammodo resolutis, copiosior fuit. P. 100.

Ex eadem causa Auctor Cl. exanthema illud rubrum, purpurae simile (*the rash* Anglorum) deriuat, quod saepius in iis, quibus insitione variolae communicatae sunt, sudore praegresso ante eruptionem, vel etiam post morbum superatum in facie, collo, superioribus partibus pectoris et brachiis apparet, post duos autem vel tres dies albescit, tandemque cuticulae desquamationem producit. Pars enim acriorum humorum ad cutim delata in vasis eius stagnat, atque haec exanthemata producit, dum in aliis cutis locis lecti et vestimentorum tepo- P. 105.

re

re relaxatis, ſudore et perſpiratione acres particulae plane excernuntur. Pediluuia quoque emollientia calore ſuo cutem quidem in pedibus relaxant, puſtularumque eruptioni fauent, minime vero variolas ad has partes allicere, faciemque ab iis tutam praeſtare valent. *Tiguri* Cl. SCHINZIUS et RAHNIUS quatuordecim infantibus optimo cum ſucceſſu variolas communicarunt, quem euentum quoque inſitio *Epiſcopi Cellae* a Cl. viris MELCH. et IAC. CHRIST. SCHERBIIS in variis aegris inſtituta habuit; vt itaque ex omnibus his relationibus appareat, omnes, quibus in hac Heluetiae parte artificiales variolae inoculationis ope communicatae ſunt, ſatis benignas variolas expertos eſſe, et ex ſexaginta fere pueris ne vnum quidem, durante morbo varioloſo, periiſſe.

p. 128. p. 156. p. 161. 169.

p. 266. *Diſſertatio de cryſtallo montana* (*Bergkriſtall*). Anonymus huius diſſertationis Auctor egregias obſeruationes de natura et ſitu cryſtalli in loco eius natali, variasque de origine eiuſdem coniecturas proponit. Notum eſt cryſtallum ad lapides ſiliceos vulgo dictos pertinere, lapides ſcilicet, ex quibus non ſolum chalybis ope ignis elici poteſt, ſed qui etiam, ſale alcalino addito, in igne in vitrum mutantur; qui duplex character in vno eodemque lapide reperiundus, verum ordinis huius characterem conſtituit, cum alii quoque lapides in vitrum tranſeant, vel chalybe percuſſi ſcintillas emittant. Componitur autem cryſtallus ex quarzo puro, plus minus pellucido, quod priſma ſexangulare refert. Maiores cryſtalli, quae proprie cryſtallus montana vocantur, in altiſſimis tantum montibus, perpetua niue glacieque tectis, minores vero etiam in minoribus montibus reperiuntur. In vniuerſum autem in iis tantum montibus, quos venoſos (*ganggebirge*) vulgo dicunt, occur-

occurrunt. Licet enim in Heluetia alpes quoque inueniantur insignis altitudinis, et vere glaciales dicendae, quae ex calcareo lapide vel schisto, lapidibus scilicet, qui semper in stratis horizontalibus (*Floetzen*) dispositi sunt, constant; nullae tamen in iis crystalli, nisi ex aliis locis aquarum vi huc delatae reperiri solent. Componuntur autem montes, ex quibus in Heluetia crystalli effodiuntur, proprie ex eo lapide, quem vulgo *Geisbergerstein* *) dicunt. Lapis hic granitis seu porphyritis rudior species est, e quarzo opaco lactei coloris et micaceis particulis composita, quibus argillacea et calcarea terra subtilior, vti ex iis, quae inferius dicentur, patet, admixta esse videtur. Micaceae particulae vt plurimum nigricantes, seu virideſcentes in summis vero alpibus coeruleſcentes sunt. Reperiuntur in montibus, hac ratione compositis, venae quarzosae, quae vt plurimum horizontali directione excurrunt, intusque cauernas quasdam habent, in quibus crystalli reperiuntur. Accretae scilicet eae sunt basi sua fundo, parietibus et tecto harum cauitatum, atque ex ipsa cauitate, si ea a crystallorum fossoribus aperitur, fere semper aliqua aquae copia effluit. Ima pars cauernae obtegitur terra albicante argillacea tenerrima, quam *samterde* vocant, quae sedimenti ad instar ex aqua, cauitates has quondam replente, praecipitata est. Crystalli huic fundo accretae opacae quoque sunt, pellucidae vero eae, quae in parietibus lateralibus sedent. Laquear siue tectum (*first*) cauernae, crystalla largitur satis pellucida, quorum tamen pars haud raro terram aliquam virideſcentem includit, quam muscos, vel gramen esse, vulgo putant; nonnunquam exterius quoque crystallum satis pellucidum terra hac virideſcente obtegitur. Vocant illam fossores *grünen Heerd* seu *Crystallheerd*. Nonnulli vt SULZERUS eam

*) An saxum simplex quarzoso-micaceum WALLERII?

eam ſuphureae eſſe indolis autumarunt, micaceae tamen illam eſſe naturae, ſi paullo accuratius examinatur, ſatis apparet. Saepe haec terra in ipſo cauernae cauo, terrae argillaceae albicanti ſuperſtrata reperitur, cryſtallaque ſatis pellucida vtrinque acuminata, nec vllo loco accreta, ſed libera, ſaepius etiam cryſtalli islandici ſiue ſpati pellucidi obiecta duplicantis WALLERII fruſta continet. De generatione vero
p. 288. cryſtallorum Auctor huius diſſertationis optime monet, aquam montium glacialium montes ex quarzo et mica compoſitos penetrare, partesque eorum conſtitutiuas diſſoluere et ſi ad cauernas in venis quarzoſis reperiundas penetrat, ibidem argillaceam primo terram, quae etiam in ſaxo *Geisbergerſtein* dicto, latere videtur deponere: deinde virideſcentem, quae ex micaceis particulis componitur, ſubſidere, atque ex calcarea terra cryſtallum islandicum oriri; tandem vero ex ſilicea terra puriſſima in aqua ſoluta cryſtallos formari: lente vero eas oriri, cryſtalla ex ſtratis compoſita, quae vulgo *Strehlen* ſeu *Kämme* dicuntur, ſatis probant.

p. 303. Inedita epiſtola CONRADI GESNERI, *de methodo examinandi aquas minerales*, quae magis ob Auctoris quondam celeberrimi nomen, quam ob obſervationes in ea contentas, notatu digna eſſe videtur.

p. 358. I. H. RAHN *diſſertatio de aquis Nydelenſibus, vulgo Nydelbad.* Reperitur fons harum aquarum ad vicum *Ruſchlikon*, non longe a littore lacus Tigurini. Adhibentur vero ad balnea vel frigidae vel ignis ope calefactae. Calor earum ſatis temperatus eſt, magnam copiam aëris elaſtici continent, qui difficulter ab aqueis particulis ſeparatur. Leuior eſt aqua huius fontis, aqua pluuiali, odorisque et ſaporis expers, flaueſcentem tamen colorem oſtendit. Ab

acidis

acidis et alcalinis aqua haec, ſi magna eius copia inſpiſſatur, non mutatur, ſacchari vero ſaturni ope terra ochracea praecipitatur. Vaſis, in quibus, ſi balneorum loco adhibetur, coqui ſolet, concretum tophaceum adhaeret, quod bituminoſas partes continet. Syrupum violarum, ſed lente, virideſcente colore tingit et ſi mercurii ſublimati ſolutio ei admiſcetur, ruber aliquis puluis ex ea praecipitatur. A gallarum ſolutione nigricat. Ex his experimentis ſatis patet, aquam hanc puram eſſe ſatisque leuem, quae paruam ſalis alcalini copiam contineat, ferreasque particulas bituminis admixti ope in terram ochraceam coalitas. Commendantur balnea ex ea aqua confecta, in pluribus morbis cutaneis, vlceribus et paralyſi. Poſſet tamen etiam interne in variis obſtructionibus et morbis ſpaſmodicis adhiberi, in quibus fortiora adſtringentia ſaepe inſigniter nocent.

CONR. RAHN *diſſertatio de aquis fabarienſibus ſeu piperinis*, ex diſputatione eius inaugurali, Lugduni Batauorum anno huius ſeculi quinquageſimo ſeptimo defenſa, excerpta. Aquae hae, in Comitatu Helvetiae *Sargans* reperiundae, leuiores ſunt aqua pluviali, gradumque caloris humani corporis fere habent, omnisque ſaporis et odoris expertes ſunt. Vis illarum medica inprimis a leuitate, puritate et principio aethereo elaſtico, copioſius iis admixto, pendet, cum quadraginta ſex librae huius aquae inſpiſſatae, duas tantum drachmas terrae praebeant. Diluunt et reſoluunt, ſed ſimul relaxant. p. 363.

Deſcriptio barometri portatilis, auctore CHRISTOPHORO JETZLER. Ita fabrefactum eſt hoc barometrum, vt eius ope altitudo montium facilius et accuratius, quam aliis huius generis inſtrumentis p. 383.

fieri ſolet, determinari poſſit. Additus quoque eſt index altitudinis, quam in variis Heluetiae montibus mercurius, in hoc barometro contentus, oſtendit.

p. 399. M. A. CAPPELER *de noua ſaturatione oculorum cancri, eiuſdemque vſu in variis morbis acutis.* Oculos cancri cum aceto, viribus variorum vegetabilium v. c. ſambuci, corticum citri, ſquillae etc. impraegnato, commiſcuit Auctor Cl., atque remedium hoc in variis morbis exanthematicis et inflammatoriis, optimo cum ſucceſſu dedit. Emetica tamen et venaeſectionem minime quoque neglexit.

IV.

Pan apum, eller Afhandling om de Örter, af hvilka bien hälſt draga deras honung och vax, ingifven til kongl. Vetenſkaps Academien, ſåſom Svar på Deſs Fråga, angående Bi-fkötſel af JOHAN OTTO HAGSTRÖM, M. D. Provincial Medicus i Oſtergötland. Stockholm, tryckt hos Direct. L. Salvius. 1768. pagg. 38. 8 mai.

h. e.

Pan apum, ſiue commentatio de ſtirpibus, quarum ſelectu apes ad mel ceramque colligendam delectantur, regiae ſcientiarum Academiae, quo ad quaeſtionem ab Eadem de apum cultura motam, reſponderet, oblata. Auctore IOAN. OTTO HAGSTRÖM.

Ad hoc de apum cultura argumentum curatius perſequendum, iam a. 1766, praemio promiſſo, eiues ſuos regia ſcientiarum Academia excitauerat.

Sex

Sex adeo ſunt commentationes, quas ipſa, hac inuitatione, obtinuit, quarum quinque plauſu ſuo dignas reputauit; vnde partiri, vni modo antea deſtinatum praemium, inter plures oportuit. Quoniam vero in quibuſdam momentis nondum ſatisfactum plane deſideriis Academiae fuit: duplam praemii ſummam ſiue 20 numos aureos in finem anni 1772, de hac materie, penitius enucleanda, meritiſſimo ſoluere decreuit. Cl. HAGSTRÖM, praemio pariter condecoratus, licet partem modo quaeſtionis attigerit: omnium tamen maxime neceſſariam, vt quae ad ipſum nutrimentum apum et habitaculum reſpiciat, pertractauit, ſuis obſeruationibus, vtut ob iuncta incommoda Auctori haud parum moleſtis, vnice vbique vſus. Quarum pleraeque non vtilitatis modo, ſed et nouitatis notam habent et ex quibus concluſiones in vſum practicum praeſtantiſſimas format. Nemo igitur nobis vitio vertet, quod exiguae molis libello ampliorem paullo, quam ſolemus, dictionem impendamus.

In quinque autem praecipue momentis attentionem ſuam defixit; diſpiciens, quibusnam ſtirpibus apes maxime delectarentur et a quibus abſtinerent; quinam eſſet pilarum cerae ex qualibet planta color; vtrum ex ſtirpe quadam vnice mel, vel ceram tantummodo, vel vtramque partem colligerent; quamdiu denique plantam quandam in deliciis haberent?

Lente nimis apes lingua ſua mel ex floribus hau- p. 4.
riunt, ſed tanto alacrius pedibus ceram colligunt, quae his pilae exiguae inſtar adhaeret. Sunt quaedam ſtirpes, e. gr. linum vſitatiſſimum, marrubium vulgare, vicia cracca, cucumis ſatiua, ex quibus mel vnice expetunt; aliae rurſus, quibus ceram vnice debent, vt plantago media, papauer ſomniferum, ciſtus helianthemum. Pleraeque autem vtrasque

p. 5. ſuppetias erogant. Non eadem cerae copia cuilibet plantae ineſt. Largiorem longe meſſem v. c. in flore papaueris ſomniferi, quam in flore chaerophylli ſylueſtris faciunt. Ex hiſce multisque aliis exemplis patet, quaenam loca oeconomo ad cerae prouentum maxime commoda ſunt. Salices huic ſcopo inprimis idoneas valde Cl. Auctor obſeruauit. Conſumto ab apibus antherarum polline, deſtituti flores hiſce inſectis, ad inſequentem diem reperiuntur, vſque dum roris ope noctu pollinis copia prouenerit.

In migratione ad ſtirpes ſuas ſingulari quaſi agmina formant, quorum quodlibet ad diuerſam ſtirpium ſpeciem ſeſe transfert. Nec vi in aliam ſpeciem cogi poſſunt. Ita v. c. quaedam apes ranunculo acri, aliae autem plantagini mediae, licet vtraque planta vicinia iungeretur, vnice inhaeſerunt, ex vno in alium eiusdem ſpeciei florem transuolantes. Ex-
p. 10. ceptio certe rariſſima fuit. Hinc pilae, ex cera conglobatae, vnico ſemper colore imbutae ſunt. Ex allio cepa ſcilicet virides, ex geranio rubros, ex coriandro ſatiuo violaceos, ex ſpiraea filipendula albos, ex ciſto helianthemo profunde flauos, ex chelidonio maiori colore citreo et ex vicia faba plumbeo tinctos, ex crataego oxyacantha pallidos, ex iſatide tinctoria obſcuros, ex pruno ſpinoſa brunos globulos pararunt, omittimus alia exempla numeroſa, quae auctor enumerat.

p. 13. Quum vero quaedam ſtirpes non ſingulis annis eadem frequentia adſint, ratio elucet, cur mellis et cerae prouentus ſaepe tam diuerſus ſit. Inde eximie monet Cl. Auctor, fidem potius eſſe tribuendam quibusdam arboribus, per complures annos durantibus. Nec explicato flore, ſtatim aduolant apes, quamuis quaedam exempla id comprobare videntur; quum anchuſa officinalis, antirrhinum linaria,

linaria, thymus vulgaris aliaque, moram octo dierum
poſt primam floris explicationem admittant, aliaeque
contra ſtirpes, longe ante deſtructionem floris, de-
ſerantur.

Sollicite Noſter tempus, quò apibus ſingula flo- p. 15.
rum ſpecies arriſit, aduerſariis ſuis mandauit. Col-
ligitur ex his, vt exempla afferamus, per viginti octo
ad triginta dies et diutius delectatas fuiſſe trifolio me-
liloto albo et repente, cichorio intybo, tuſſilagine
farfara etc. per quatuordecim dies ſedo telephio,
ſcabioſa aruenſi, braſſica oleracea, trifolio meliloto
luteo; per octo dies pyro malo et communi, ribe
vua criſpa, pruno ceraſo et ſpinoſa, nec non trifolio
montano. Quo indice demonſtratur, perinde non
eſſe, ad quamnam trifolii ſpeciem acceſſus pateat,
quum tamen ſine diſcrimine trifolium ab auctoribus
bene multis praedicetur. Apum ea quoque eſt ra- p. 18.
tio, vt ſocietatem non modo ſuis habitaculis inclu-
ſae, ſed et libero aëre verſantes adament; qua de
cauſſa arbores, vel ambulacra, ſepes viuas et planta-
tiones auidius longe, quam ſtirpes diſperſas quae-
runt. Notatu dignum eſt, quod in ſalicis genere p. 19.
fere toto, vti et in populo tremula, flores maſculos
in vſum vnice vertant. Quae animaduerſio ad
diſſidia auctorum, de ſalicum pro apibus vtilitate, di-
rimenda, facere poteſt. Serratulam aruenſem, ſpre- p. 20.
tiſſimam alias ſtirpem, apibus Cl. Auctor acceptiſſi-
mam reperit; et quoniam haec in aruis, piſo conſitis,
copioſa valde eſt, errorem enatum arbitratur quo-
rumdam, qui piſi culturam in apum vſum impenſius
commendant.

Pacatum aërem apes requirunt; hinc ad ſyluas p. 21.
et nemora ſeſe crebrae conferunt. Nec calor eas
ad munus ſuum peragendum excitat, vtpote quum,
ſub eodem caloris gradu vere longe magis aſſiduae,
quam autumno reperiantur. Sponte igitur proma-

nat, plantas vernales maius longe commodum autu-
p. 22. mnalibus afferre. Plures plantae ſunt, quarum mel vel cera, nec vehementiſſima pluuia vitiatur, ſed quas, pluuia ceſſante, mox iterum apes appetunt. Valet hoc de iis praecipue, quae floribus nutantibus et pendulis vt geum riuale, vaccinium vliginoſum, aquilegia vulgaris, inſtruuntur. Prout verticillatae plantae et diadelphae ſua ſtructura contra pluuiae iniuriam ſatis muniuntur.

Hortos, horaeis fructibus deſtinatos, conuenientiſſimos apum culturae Noſter iudicat, a quibus prunum auium, apibus gratiſſimam praecipue non vult
p. 25. excludi. Ambulacra his ſupparia ſunt, ſed ſeligendae ſtudioſe arbores. Acer ideo platanoides, populus tremula et quidem mas, crataegus oxyacantha, lonicera xyloſteum praerogatiuam merentur. Corylus auellana et tuſſilago farfara primae plantae ſunt, ex quibus eſcam ſuam petunt.

p. 26. Etiamſi vero apes intra ſua habitacula munditiei cupidiſſimae ſunt: nihilominus tamen foetentes ſtirpes, prout cynogloſſum officinale, antirrhinum linariam, ledum paluſtre aliasque eiusdem indolis non ſpernunt. Quin ne latrinarum quidem viciniam
p. 27. repudiant. Mucor vero eryſiphe, ſiue ros ſic dictus melleus, nunquam in deliciis apum fuit, etſi multos Auctor, prout in aliis, contradicentes habeat. Eos flores, quorum nectaria ita conſtructa ſunt, vt ſua lingua ad fundum pertingere nequeant, perforare ſolent apes, quod in linaria, aquilegia et aliis ſaepe oculis vſurpatur.

p. 30. Ex calendario florum Ill. a LINNE' ſuccedentes ſibi mutuo ſtirpes, in vſum apum Cl. Auctor determinat et exemplis tuſſilaginis farfarae, echinopis ſphaerocephali et centaureae cyani eruptionem florum in caulibus ſenſim, pro apum indigentia, factam illuſtrat. Attentione quoque dignum exiſtimauit

Cl.

Cl. Auctor puluerem, qui vel fronti vel pectori apum ex ſtirpium variarum vſu adhaeſit, eiuſque colorem deſcripſit. Larua vero quaſi obductae apparuerunt, ex lauatera Thuringica reduces.

Mirum illi videtur, quod ex multis ſtirpibus, etſi p. 34. polline copioſo ſcatentibus, myrica gale, alcea roſea, lilio bulbifero aliisque, ceram tamen nullam parent. Ita et aliae, vt tropaeolum maius, lathyrus odoratus, lychnis chalcedonica cet. ab iis repudiantur. Quorum omnium ratio a ſingulari guſtu et peculiari quadam lege, qua apes reguntur, repetenda eſt.

VII.

Noua variolis medendi methodus. Cum ſpecimine obſeruationum miſcellarum, rem medicam illuſtrantium. Auctore IOANNE FRIDERICO CLOSSIO, M.D. Trai. ad Rhen. apud R. de Meyere et Io. a Schoonhoven 1766. 8. pl. 9. ſine praefatione.

Continet hic libellus, qui et germanice editus eſt *) nouam per veſicatoria variolarum medelam, cui dein viginti et nouem medicae ſunt additae obſeruationes, ac denique proponitur ius ſummorum magiſtratuum inſitionem variolarum imperandi, vbi Cl. Auctor ad dubitationes, ab amico quodam cum eo communicatas, reſpondit et has ſoluit quaeſtiones: num ſummi magiſtratus hoc ius habeant? num ſine ciuium iniuria eos cogere liceat? et tandem, num variolae ſine ſummo vitae periculo inuitis inſeri poſſint?

*) JOHANN FRIEDRICH CLOSSENS *neue Heilart der Kinderpocken, nebſt einem Verſuche vermiſchter Beobachtungen zur Erläuterung der Arzneywiſſenſchaft. Aus dem Lateiniſchen überſetzt. Ulm* 1769. 8.

p. 11. Suadet Cl. Auctor veſicatoria mox ab initio eruptionis variolarum, quae ſequentem in modum ab eo praeparantur et adhibentur. Inducit nimirum emplaſtrum meliloti ſeu alius emollientis, aceto ſcillitico ſubactum, ſuper alutam, eamque cantharidibus, recenter in puluerem redactis, largiter conſpergit. Acetum ſcillicitum addit ideo, quod acida omnino veſicatoriam cantharidum augeant virtutem, minime vero vti alii opinantur, eam infringant. Id quod Noſtro aeque abſonum videtur ac veterum tentamina opii corrigendi, additis pipere, zingibere, zedoaria, ſcilla, euphorbio aliisque. Hoc veſicatorium applicat pedibus, idque ſtrictius adligat pedi faſciolis aptis, limbo alutae ſuperiori et inferiori traiectis, et vulnus per totum morbi decurſum apertum ſeruat.

p. 20. Conclaue aegri bene ordinato, victuque eius, vbi animalem prorſus reiicit, praeſcripto, veſicatoriorum commoda expendendo affirmat Cl. Auctor: illa febrem variolarum primum tollere vel inſigniter mitigare, eruptionem exanthematum promouere eorundemque regreſſum impedire, parcius illas prouenire, a facie arcere, oculos ab omni iniuria defendere, nitorem vultus ſincerum integrumque conſeruare, febrem ſecundam vel omnino praecauere, vel mitiſſimam reddere et tandem, quae ſequuntur variolas, praepedire.

p. 21. Cantharidum actionem obſcure huc vsque explicatam eſſe, cum Cl. TISSOTO exiſtimat. Id quod patere Noſtro videtur ex vario earum effectu et plane interdum ſibi contrario, vt dyſuria et iſchuria per eas, externe applicatas, excitata, contra vero diureſis largiſſima ab iis, interne ſumtis, a Noſtro aeque, ac a HUXHAMO obſeruata. Quapropter iis non phyſicam, ſed mechanicam quandam tribuit actionem, quae in humorum diſſolutione et attenuatione

tione cernitur, indeque et vim, febrim mitificantem, declarat. Nimia enim humorum ſpiſſitudo eorumdemque lentor eſt febris varioloſae cauſſa, quibus per cantharides ſublatis, febrim ceſſare ſeu valde imminutam eſſe oportet. Reliqua cantharidum commoda, a Noſtro commemorata, conſpiciuntur praecipue in eo, quod humores, varioloſo vitiati miaſmate, iis externe applicatis et cutem irritantibus, ex corpore eliciantur et a nobilioribus ad minus nobiles partes deriuentur. Quam ob cauſſam morbos, ſuperatis variolis, ſaepe oborientes, eas arcere poſſe autumat, quos reduxit cum Cl. TISSOTO ad has tres ſpecies, nimirum primo ex virium imbecillitate, deinde ex puris relicti metaſtaſi et decubitu, et tertio ex cuiuſdam partis laeſione. Nihilominus tamen omnem medicamentorum vſum poſt variolas vetat, imo eccoprotica vel cathartica, variolis deſquamatis, ipſe exhibuit et pro rei neceſſitate quoque repetiit. Morbo toto varioloſo finito, tandem vulneris, ſuris inflicti, curam gerit illudque, ſi opus eſt, emplaſtris ſaturninis ſeu myrrhae eſſentia, ſine ſale alcalino parata, ſanat.

Iam quaedam, ex obſeruationibus medicis, a Noſtro collectis, addamus. Mulier ſexaginta ſeptem annorum, catamenia, quae decimo ſexto aetatis ſuae anno fluere inceperunt, adhuc experta eſt, nec non aliam cognovit Cl. Auctor, vbi in quinquageſimo nono anno menſes ceſſarunt. p. 78.

Vidit porro ventriculum, flatu diſtentum, cylindri formam habentem, ſine vllo arcuum veſtigio, cuius medium corpus perfecte teres, tenuiſſimum et ita anguſtum fuerat, vt diameter ipſius plus dimidia parte naturali minor eſſet. In alia femina, perpetuo vomente, mortua, reperit ventriculum collapſum et valde contractum; quo inciſo, totus eius fundus ſcirrhoſus, craſſisſimus et ita anguſtus, ne p. 81. p. 83.

acies cultri anatomici penetrare, poſſet, inueniebatur. Ac miratur Noſter, Cl. DE SAUVAGES in noſologia ſua methodica hoc morborum, ex mala ventriculi conformatione proficiſcentium, genus plane omiſiſſe, cum tamen FORESTUS ad eius rotunditatem et anguſtiam iamiam reſpexerit.

p. 88. Fecit porro cuiusdam viri mentionem, qui per menſem quater modo aluum exonerabat, ac quidem ſingulae hebdomadis die mercurii. Foeces fuerant ſemper copioſiſſimae et bene compactae, ceteras vero excretiones non erant multum largiores. De reliquo ſanus erat hic vir et ſe a puero, quantum liceat reſpicere tempus praeteritum, hac alui pigritia laboraſſe, Noſtro affirmauit.

p. 102. Vidit Cl. Auctor puerum, qui, quoties incaleſcebat, in ſingulis dextri lateris partibus a capite vsque ad calcem rubebat, madebat et ſudabat, in ſiniſtro autem nec vlla coloris et caloris percipiebatur mutatio.

p. 127. Salicis albae corticem Peruuiani loco variis in morbis, vbi ille laudatur, multo cum fructu adhibuit Cl. Auctor, ac inprimis quidem ad vomitum ſedandum, ventriculum roborandum et ad lumbricos depellendos prodeſſe dicitur. Pari modo eum in puluere exhibuit, vti Peruuianum ſolent dare medici.

p. 131. Tuſſi ferinae infantum ſulphur antimonii auratum medetur. Dedit hoc nimirum infanti, qui diu ea laborauerat variaque bechica medicamenta nec non alia acceperat et, largo ac foetido ſudore excitato, ab ea liberabatur. Adſcribit propterea cum aliis ſulphuri vim antiſpaſmodicam, tum vero, cum materia quaedam acris, per cutem eliminanda, ſpaſmos excitat ideoque illud in exanthematibus, vel aegre prodeuntibus, vel ad internas partes regredientibus, ſuadet.

VIII.

MAXIMILIANI LOCHER, medici Viennenſis in noſocomio ad S. Marcum et in orphanotrophio phyſici, obſeruationes practicae circa inoculationem variolarum in neonatis inſtitutam. Vindobonae, typis Io. Thom. Nobil. de Trattner, 1768. 8. pl. 3.

Cl. LOCHER ratione inſitionis variolarum aliquid tentauit, quod nemo ante eum auſus eſt. Dedit enim infantibus, nouiter natis, per inſitionem variolas, cui tentamini felix exitus non aduerſatus eſt. Communicauit initio ſuum propoſitum in epiſtola, opuſculo praemiſſa, cum Cl. STOERCKIO, eiusque hac de re ſibi expetiit conſilium, quod hic ei in adiecta erudita reſponſione omni candore exhibuit. Rationes, quas Cl. STOERCKIUS addidit, vt neonatos inſitioni, prae adultioribus, ſubiiciat, ita comparatae ſunt, vt omnem mereantur attentionem. Si enim, inquit, vera ſunt, quae inſitionis patroni in genere pro inſitione proferunt, certe ea in nouiter natis inprimis commendanda eſt. Omnia alia argumenta vilipendenda ſunt, ſi experientia tantum reſpondet, haec enim ſola hac in cauſa audienda eſt. Eligantur tantummodo infantes ſani, et a meconio rite purgati. Omnes in arte medica experti vno quidem ore huc vſque contenderunt, inſitionem non tentandam in infantibus, antequam ſecundum aetatis annum tranſigerint. Cl. vero STOERCKIUS aliam hac in re fouet ſententiam et inſitionem potius in nouiter natis, quam in adultioribus, infantibus eſſe inſtituendam, graues ob rationes cenſet ſequentes: a) quod infantibus in primo a nativitate menſe pauciores infirmitates eueniunt, praeſertim ſi meconio debito modo fuerint repurgati: b) quod

b) quod variolae naturales multos occidunt infantes, antequam ſecundum aetatis annum ſuperauerint, eo citius igitur ab hoc periculo liberandi: c) quod nouiter nati felicius ferunt inſitas variolas, quum primo menſe plerumque dormiunt, neque a cauſis externis facile afficiuntur et medicamenta, ſi opus, licet rariſſime, habeant, quum ſola natura tum ſufficiat, ſine difficultate deglutiunt: d) quod forma faciei certius in tenellis conſeruatur: e) quod nulla diaetae ratio habenda, quum ſolum lac maternum illis praebeatur.

Suadet deinde, vt inciſio ſecundum nouam methodum fiat, lanceola, cuius apex pure variolofo tantum madeat, eo in loco, vbi ad brachium fonticuli ponuntur, ſola epidermide perſciſſa; quemadmodum etiam vnam, longiorem tamen, inciſionem ſufficere arbitratur. Denique auctor ei ſuaſorque eſt, vt aliquos ex infantibus, qui variolas artificiales feliciter ſuperarunt, poſt aliquos menſes denuo inſitioni ſubiiciat; alios vero in eundem lectum ponat, vbi variolis naturalibus laborantes decumbunt, vt videat, an ſecunda vice inſici queant?

p. 13. Obtento prudenti hoc conſilio, Cl. LOCHER ſtatim ſe ad opus accinxit et ſex infantes, quorum aetate maximus octodecim dies, minimus vero quatuor dies habuit, inoculationi ſubiecit, qui etiam omnes variolis infecti fuere et, durante morbo, vti ex diario adiecto adparet, ſatis bene ſe habuerunt, excepto vno, tertio in ordine, qui die poſt operap. 19. tionem decimo quinto, poſtquam variolae fere ſiccatae fuerunt, alui profluuio mortuus eſt, reliqui vero feliciter euaſerunt. Talis fuit exitus primae inſitionis. Hac occaſione Cl. Auctor aliud periculum fecit. In eodem cubili, quo inoculati detenti fuere, alios quinque infantes neonatos incluſit, vt videret, an inde afficerentur. Poſt aliquot dies

omnes

omnes hi quinque infantes variolis et quidem copioſoribus correpti fuere, longeque magis aegrotarunt, quam illi, qui arte infecti ſunt. Nullus tamen ex iis morbo occubuit. Reiterauit inſitionem p. 21. in ſex aliis infantibus nouiter natis, iunioribus tamen praecedentibus. In his omnia bene ſucceſſere, nullusque eorum mortuus eſt. Repetiit hanc operationem tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima et octaua vice, optimo cum ſucceſſu, ita, vt ſex ſeptimanarum ſpatio triginta quatuor infantes inocularit, ex quibus duo morti occubuerunt, vnus autem, infans aliquot tantum horarum, nec inſitione nec contagio, licet ſemper cum iis, qui variolis laborabant, in eodem cubili eſſet, affectus eſt. Vbi hoc tantum mirati ſumus, Cl. Auctorem tam tenellos infantes, aliquot modo horarum, elegiſſe, qui in partu praegreſſo multum neceſſario perpeſſi ſunt, inſuperque meconio non ſatis repurgati eſſe potuerunt. Hac annotatiuncula Cl. Auctori minime oneri eſſe volumus; exitus enim probauit, nihil mali infantulo inde eueniſſe. Hic caſus potius nobis occaſionem praebuit notandi, experientiam non ſemper reſpondere noſtris ratiociniis, hinc rationem adaptandam eſſe experientiae, non vice verſa.

In fine Cl. Auctor quaedam conſectaria adne- p. 44. ctit, quae ex praemiſſis obſeruationibus collegit. Primum adnotat: infantes hos tenellos durante morbo varioloſo vix aegrotaſſe: deinde, omnes habuiſſe variolas diſcretiſſimas plerumque paucas, nullas confluentes; licet tempore variolarum manſerint in cubili, vbi fere ſemper viginti quatuor, vel viginti ſeptem puerperae decubuerunt, vnde aer nequaquam purus eſſe potuit: Tum, nouiter natos minime tantum paſſos eſſe ab inſitione, ac illos, qui adultiores fuere: tunc, quibus ex lactis coagulo ſuperuenerunt tormina et alui fluxus, his lapidibus can-

cancrorum et ſyrupo cichorii cum rhabarbaro et, pro re nata, etiam ſyrupo diacodii, ſuccurriſſe: poſtea, quibus aluus non quotidie ſoluebatur, his vel enema iniici curaſſe, vel exhibuiſſe ſyrupum purgantem: tandem, quamuis nonnulla vlcera ex inciſione fuerint calloſa et ſatis profunda, tamen omnia intra paruum tempus feliciſſime fuiſſe curata.

Haec ſunt, quae in vtiliſſimo hoc libello notatu digna inuenimus. Expectamus adhuc a Cl. Auctore, vt, ad conſilium, quod ei Cl. STOERCKIUS in epiſtola praemiſſa dedit, periculum cum inoculatis et feliciter e morbo emerſis, faciat, eosque eidem operationi denuo ſubiiciat, vel in lectum ponat, vbi variolis naturalibus laborantes decumbunt, vt certiores fiamus, an ſecunda vice poſſint infici.

IX.

Hiſtoire naturelle générale et particuliere avec la deſcription du cabinet du Roi. Tome quatorzieme. A Paris de l'imprimerie royale. 1766. 4. alph. 2. pl. 6. tabb. aen. 41.

i. e.

Hiſtoria naturae vniuerſalis et particularis vna cum deſcriptione muſei regii. Tomus XIV cet.

In hoc tomo de ſimiis, papionibus et cercopithecis agitur, primoque nomenclatura et characteres horum animalium generales definiuntur. *Singe* ſeu *ſimia* nomen genericum eſt, quod inſigni numero
p. 1. ſpecierum valde diuerſarum imponitur. Simiae ſtricte ſic dictae, nunquam in America reperiuntur, inprimis ecaudatae, eae contra, quae ſub ſimiarum Americanarum nomine veniunt, in nullo alio loco, quam

quam in America occurrunt. At ſimiae nomen proprie illis tantum competit animalibus, quae abſque cauda ſunt, quibus facies plana, dentes, manus, digiti et vngues, vt in homine ſunt, quaeque, hominis inſtar, pedibus erecta incedunt. Veteres vnius tantum ſpeciei mentionem faciunt, quae Graecis πιθηκος, Latinis vero *ſimia* vocatur. Veterum *pithecus* homini quidem quoad interiora et exteriora admodum ſimilis eſt, ſed multo minor deprehenditur. Poſthac autem temporibus recentioribus alia ſpecies detecta eſt, quae aeque longa et fortis, vt homo eſt, eundemque ardorem erga feminas humanas, quem erga ſuas femellas, habet et homini perfecte ſimilis eſt, atque ab Indianis *orang-outang*, i. e. homo ſylueſtris vocatur. Duabus his ſpeciebus tertia adnumeratur, quae tam reſpectu hominis quam ſimiae deformis eſt et *gibbon* ſeu *cephus* nominatur. Tribus his ſpeciebus ſimiae nomen vnice competit. Alia familia ſub nomine generico *babouin* ſeu *papionis* indicatur. Hoc animal, a ſimiis diuerſum, cauda eſt abbreuiata, facie elongata, roſtro largo et ſimo, dentibus laniariis, pro ratione corporis maioribus, quam in homine et natibus calloſis conſpicuis notatum. Huius tres numerantur ſpecies: 1) *papio* ſtricte ſic dictus, ab ARISTOTELE *ſimia porcaria* vocatus; 2) *mandrill;* 3) *ouanderou.* Ordine nunc ſequuntur *cercopitheci*, qui tertiam familiam conſtituunt. Hi ſimiis ſeu papionibus ſimiles ſunt, ſed cauda elongata ab iis inprimis ſe diſtinguunt. Nouem eorum ſunt ſpecies: 1) *macaque*, 2) *patas*, 3) *malbrouk*, 4) *mangabey*, 5) *mone*, 6) *callitriche*, 7) *mouſtac*, 8) *talapoin*, 9) *douc.* Tribus his familiis, a ſe inuicem valde diuerſis, duae aliae familiae accenſentur, quae, cum manibus et digitis inſtructa ſint, ſimiae quoque nomen obtinuerunt. A tribus autem prioribus generibus in multis valde differunt, neque in Aſia, neque in

Africa,

Africa, ſed in America tantum occurrunt. Haec a Noſtro *ſapajous* et *ſagouins* vocantur, eorumque hiſtoria in volumine decimo quinto traditur. Animalia haec a prioribus maxime diuerſa ſunt, atque ſequentibus inprimis characteribus ab illis diſtinguuntur. In tribus prioribus nimirum generibus nates glabrae et calloſae, deinde buccae ſeu burſae ſub malis deprehenduntur, in quibus alimenta aſſeruare poſſunt: porro ſeptum narium anguſtum, tandemque orificia narium ſubtus aperta, vt in homine, reperiuntur. Cum autem nullus horum characterum in *ſapajous* et *ſagouins* ſit, animalia haec plane a prioribus diuerſa eſſe, colligendum eſt. Ex his itaque apparet, triginta eſſe animalium ſpecies, quibus nomen ſimiae impoſitum eſt: tres nimirum ſimiae, vnaque ſpecies intermedia inter ſimiam et papionem; deinde tres papiones, vnaque ſpecies intermedia inter papionem et cercopithecum; porro nouem cercopitheci, tandemque ſeptem *ſapajous* et ſex *ſagouins*. Reliqua non niſi pro varietatibus harum ſpecierum habenda ſunt.

p. 28. Haec ſunt praecipua, quae ex generali hac conſideratione decerpere licuit: addimus adhuc pauca. Si ſimia anatomice diſquiritur, anatomia fere hominis tradi poteſt. Licet autem ſimia homini ſimilis ſit, brutorum tamen animalium indoli adeo accedit, vt a primo ortus momento ſtatim cognoſci poſſit. Citius multo creſcit, quam infans, matrisque auxilium primis tantum menſibus ei neceſſarium eſt. Educatio eius cum aliorum animalium educatione conuenit. Simia homini magis quoad corpus et membra, quam quoad vſum eorum ſimilis eſt. Omnes ſimiae actiones ab educatione eius, quae mere animalis eſt, pendent; ridiculae eae, abſque vllo fine et diuagantes eſſe videntur. Natura eius viuida eſt, temperamentum calidum, indoles petulans; omnes eiuſdem mores exceſſiui et motibus maniaci potius,

potius, quam actionibus hominis et animalis tranquilli ſimiles ſunt: indocile inſuper animal eſt, ad blandimenta inſenſibile, et caſtigatum tantum obedit, atque carcere quidem contineri, ſed nunquam inter domeſtica animalia ali poteſt. Simia itaque magis quam plurima alia animalia quoad qualitates relatiuas ab homine remota eſt, a quo etiam reſpectu temperamenti maxime differt. Homo enim in omnibus climatibus viuere, genusque ſuum propagare poteſt; ſimia difficulter in regionibus temperatis vitam viuit, et in calidiſſimis tantum regionibus ſe propagat. Itaque ſimia animal tantum eſt ſub larua humana, intellectu autem et omnibus, quae hominem faciunt, orbatum: animal porro eſt, quod reſpectu facultatum relatiuarum pluribus aliis cedit. Indole quoque, temperamento, atque duratione temporis ad educationem, geſtationem et incrementum corporis, neceſſarii ac vitae denique ipſius, paucis, quoad omnes mores resque reales, quae naturam entis cuiusdam conſtituunt, eſſentialiter ab homine differt.

1) *Orang-outangs.* Hoc nomine indico duo p. 43. animalia inſigniuntur, quorum alterum *pongo*, homo (*troglodytes*) nocturnus LINN. alterum vero *jocko*, ſimia (*ſatyrus*) ecaudata, ferruginea lacertorum pilis reuerſis naſibus tectis LINNAEO vocatur. Eadem haec animalia a quibusdam quoque nomine *barris* et *drill* inſigniuntur. *Barris* idem ſignificat, quod *pongo*, hocque magnus *orang-outang* eſt; *drill* autem idem eſt, quod *jocko;* atque paruus *orang-outang* Noſtro dicitur. Differt *orang-outang* ab homine naſo, minime prominente, fronte nimis breui et mento in baſi non eleuato. Aures eidem ſunt, pro corporis proportione, nimis magnae, oculi ſibi inuicem nimis appropinquantes, ſpatium inter naſum et os nimis magnum; crura, habita pro-

portione, nimis breuia, brachia nimis longa, pollices nimis parui, palma manus nimis longa nimisque denſa, pedes magis manibus ſimiles, quam pedes humani. Partes generationis externae in maſculo ab homine in eo differunt, quod in praeputio nullum frenulum ſit; partes vero foemineae vt in humana foemina apparent. Interna quoque ſtructura idem animal ab homine iterum differt. Sunt enim in illo coſtae tredecim, vertebrae colli breuiores, oſſa peluis anguſtiora, lumbi planiores, orbitae oculorum profundiores. Prima vertebra colli nullam apophyſin ſpinoſam habet; renes rotundiores ſunt; vreteres, veſica vrinaria et veſicula fellea anguſtiores et longiores apparent. Reliquae partes omnes adeo cum hominis partibus conueniunt, vt mirum ſit, cur a tam ſimili conformatione, ſimilique organiſatione non aeque ſimiles producantur effectus. E. g. lingua et organa loquelae cum humanis conueniunt, neque tamen *orang-outang* loquitur; cerebrum eandem formam eandemque proportionem habet, neque tamen cogitat. *Eſtne*, inquit Cl. BUFFON, *hoc argumentum euidentiſſimum, quod materia ſola, licet perfecte organiſata ſit, neque cogitationes, neque loquelam, quae ſignum earum eſt, producere poſſit, niſi per principium quoddam ſuperius animata ſit?* In nullo animali, niſi in homine et *orang-outang* nates et ſurae deprehenduntur, manifeſto indicio, quod erecti incedere debeant; in nullo etiam, niſi in homine et *orang-outang* pectus amplum, ſcapulae planae et vertebrae in vtrisque pari modo conformata deprehenduntur. Soli etiam cerebrum, cor pulmones, hepar, lienem, pancreas, ventriculum, inteſtina ſimili modo conformata habent, neque in vllo animali, niſi in iiſdem, proceſſus vermiformis inteſtini coeci reperitur. Paucis, *orang-outang* homini magis, quam vlli alii animali quoad partes ſimile eſt. Praeterea

in

in adiecta nota, anatomia ſimiae, a Cl. TYSON et COWPER inſtituta, traditur, ex qua videre licet, quae ſit inter hominem et *orang-outang* ratione internae fabricae ſimilitudo. Ceterum huic animali nulla ſub malis burſa eſt, nulla cauda, calloſitates in natibus nullae; nates tumidae et carnoſae ſunt; dentes omnes, hominis dentibus ſimiles; facies plana, nuda, fuſca; aures, manus, pedes, pectus, venter pilis carent; caput pilis tectum, qui, vt crines, ad tempora vtrinque deſcendunt; dorſum et lumbi pilis quidem, ſed non copioſis, obſiti; longitudo animalis quinque vel ſex pedes eſt; pedibus erectum incedit. Num foemina menſtruata ſit, Cl. BUFFON affirmare quidem nequit, ſed ex analogia hoc coniiciendum eſſe, putat. Ex deſcriptione anatomica, quam dedit DAUBENTON nihil addimus, cum praecipua a Cl. BUFFON hinc inde notata decerpere licuerit.

2) *Pytheque;* ſimia ſimpliciter dicta RAIO, ſimia ſyluanus LINN. in Aſia, Lybia aliisque Africae provinciis obuia et frequens eſt. Caudam nullam habet; dentes canini, habita proportione, non maiores quam in homine ſunt; facies plana, vngues plani et rotundi, vt in homine. Pedibus erecta incedit; pedem vnum cum dimidio longa eſt; a natura mitis cicurari ſe patitur. Vox eius *chinchin* eſt; hinc ab incolis harum terrarum *chinchin* vocatur. Veteres foemellas menſtruatas dixerunt, et Cl. BUFFON id ex analogia coniicit. p. 84.

3) *Gibbon;* cephus, ſingulare hoc animal in India orientali, Coromandel inprimis, Malacca et inſulis Moluccenſibus occurrit. Cauda ei nulla eſt, nates caluae et aliquantum callofae; facies plana, fuſca et circulo pilorum gryſeorum circumdata; dentes canini, habita proportione maiores, quam in homine; aures nudae, nigrae et rotundae, pili pro ratione aetatis et ſexus fuſci vel gryſei; brachia inſignem p. 92.

longitudinem habent, cum ea longitudinem totius corporis aequet. Haec ſimia pedibus poſterioribus erecta incedit. Duos pedes cum dimidio vel tres longa eſt. Foemina menſtrua patitur. Vertebrae dorſales duodecim totidem coſtae, vertebraeque lumborum ſex numerantur. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus conſtat.

p. 109. 4) *Magot;* cynocephalus ARISTOT. Pertinet ad ſimiam (*ſyluanum*) ecaudatam, clunibus tuberoſo-calloſis LINN. aut rectius ad ſimiam (*inuum*) ecaudatam, natibus caluis, capite oblongo eiuſdem auctoris. Haec inter omnes ſimias regionibus temperatis optime aſſueſcit. Captiuum animal ſemper triſte et ſordidum eſt. Motus eius proterui, mores rudes et vultus magis deformis, quam ridiculus, apparent. Carne cruda, caſeo rebusque fermentatis exceptis, eſcam quamcunque ingurgitat. Catenis idem vincire, ſemper opus eſt. Reperitur in Tartaria, Arabia, Aethiopia, Malabaria, Barbaria, Mauritania vſque ad promontorium Capitis bonae ſpei. Caudam nullam habet, licet parua quaedam pars cutis caudae veſtigium praebeat. Burſae ei ſub malis ſunt et ad nates calloſitates prominentes. Dentes canini, habita proportione, multo longiores humanis, facies in roſtrum elongata, cani maiori ſimilis, hirſuta, corpus pilis ex fuſco virideſcentibus et venter ex flauo albicantibus veſtitus apparet. Pedibus poſterioribus erectum, ſaepius tamen quatuor incedit. Tres pedes ſeu tres cum dimidio longum eſt. Foeminae menſtruatae ſunt. Inteſtinum coecum et colon plures burſas formant. Numerus dentium idem eſt, ac in homine, ſed figura diuerſa. Vertebrae dorſales duodecim, et totidem vtrinque coſtae; vertebrae lumborum ſex ſunt. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus et coccygis os ex duabus conſtat.

5) *Pa-*

5) *Papion*, ſeu *babouin*. Papio GESNERI. Simia (*ſphinx*) ſemicaudata, ore vibriſſato, vnguibus acuminatis LINN. Animal hoc ferox quidem, neque tamen carniuorum eſt, ſed fructibus inprimis, radicibus et ſeminibus viuit. Forte et agile eſt, et admodum libidinoſum. Burſas ad malas habet et ad nates, quae nudae ſunt et coloris ſanguinei, calloſitates amplas; cauda ſeptem vel octo pollices longa eſt. Dentes canini pro corporis ratione longiores et craſſiores, quam in homine; roſtrum valde craſſum et longum; aures nudae, neque marginatae; corpus robuſtum, partes genitales nudae, coloris carnei, pili longi et denſi, coloris ex fuſco rufeſcentis. Saepius quatuor quam duobus pedibus incedit. Erectum animal tres quatuorue pedes longum eſt; dantur autem et maiora adhuc et minora. Foemellae menſtruatae ſunt. Inteſtinum coecum craſſum et breue eſt et figuram conicam habet. Veſicula fellea valde elongata eſt. Vertebrae dorſales tredecim et vtrinque totidem coſtae et vertebrae lumborum ſeptem numerantur. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus et cauda ex duodecim conſtat. p. 133.

6) *Mandrill;* ſimia (*maimon*) LINN. a quo auctore falſo ad cercopithecos refertur*). Hoc animal inter ſimias et papiones, excepto *orang-outang*, maximum in prouinciis meridionalibus Africae occurrit. Papione fortius, ſed tranquillius minusque ferox eſt. Sunt ei burſae ſub malis et calloſitates ad nates; cauda duos tresue pollices longa; dentes canini pro ratione corporis craſſiores et longiores, quam in homine; roſtrum valde craſſum et longum; buccae vtrinque rugis longitudinalibus profundis ſulcatae; facies nuda, coloris coeruleſcentis, aures p. 154.

*) Optimam huius animalis deſcriptionem dedit Cl. ALSTROEMER in actis Acad. ſuecic. Vol. XXVIII. *Mormon* ab eo vocatur.

aeque ac interiores partes manuum pedumque nudae; pili longi, in corpore ex fuſco rufeſcentes, in pectore et ventre gryſei. Saepius duobus et interdum quatuor pedibus incedit. Erectum quatuor pedes vel quatuor cum dimidio longum eſt. Dantur etiam maiora. Foeminae menſtruatae ſunt. Coecum inteſtinum in ſiniſtro latere ſitum habet, vnde colon dextrorſum excurrit, et ſiniſtrorſum recurrit. Veſicula fellea formam pyri habet. Dentes huius animalis, vt in *magot*, ſunt, exceptis inciſiuis mediis maxillae inferioris, duobus reliquis maioribus. Vertebrae et coſtae, vt in *magot*, comparatae ſunt.

p. 169. 7) *Ouanderou;* ſimia (*ſilenus*) caudata, barbata corpore nigro, barba nigra (an non potius niuea?) prolixa LINN: et *lowando;* ſimia alba ſeu incanis pilis barba nigra promiſſa, elwandum Zeylanenſibus RAII. Simia (*veter*) LINN. Vtrumque animal vna eademque quidem ſpecies, ſed varietas diſtincta et conſtans Noſtro eſſe videtur. Primum enim corpus pilis fuſcis et nigris vna cum crinibus copioſis et albis et barba magna pariter alba, alterum autem corpus albeſcens, cum crinibus nigris et barba nigra, habet. Datur adhuc tertia varietas, quae in toto corpore alba eſt. Animalia haec ad papiones pertinent, et ferocia ſunt, easdemque vires habent; in ſtatu libero valde effrena ſunt, ſyluasque inhabitant. Sunt eis burſae ſub malis et callofitates ad nates; cauda ſeptem vel octo pollices longa; dentes canini longiores et craſſiores, quam in homine; roſtrum craſſum et elongatum; caput crinibus largis et barba magna veſtitum, corpus longum verſus inferiora gracileſcens. Pedibus ſaepius quatuor, interdum tamen duobus incedunt. Erecta tres pedes ſeu tres cum dimidio longa, foeminaeque menſtruatae ſunt.

8) *Mai-*

8) *Maimon;* ſimia (nemeſtrina) LINN. hoc animal in prouinciis Indiae meridionalis obuium ſpeciem intermediam inter papiones et cercopithecos ſiſtit. Papionibus enim roſtro magno et amplo, atque cauda breui et arcuata; corporis vero forma et moribus lenioribus cercopithecis ſimile eſt. Hoc animal ſub malis burſas habet, ad nates calloſitates, caudam nudam arcuatam, quinque vel ſex pollices longam; dentes pro ratione corporis non maiores quam in homine ſunt; roſtrum praeterea valde amplum, orbitas oculorum prominentes, faciem, aures, manus, pedesque nudos, coloris carnei, corpus pilis ex nigro oliuaciis, et ventrem ex flauo rufeſcentibus veſtitum habet. Mox quatuor mox duobus pedibus incedit. Erectum duos pedes ſeu duos cum dimidio longum eſt. Foeminae menſtruatae ſunt. Inteſtinum coecum longius quam in homine eſt, nullo appendice vermiformi inſtructum. Tot dentes, quot *macaque*, habet, ſed figura diuerſos; duo enim dentes inciſiui medii ampliores ſunt, canini autem valde parui. Vertebrae dorſales, lumbares et coſtae, vt in *macaque*, ſunt. Cauda ex vertebris ſpuriis viginti, ſeu vna et viginti conſtat. p. 176.

9) *Macaque;* ſimia (cynomolgus) caudata, imberbis, naribus bifidis, elatis, clunibus tuberoſis LINN. et *aigrette* (aigula LINN.) Animalia haec in Africa meridionali reperiuntur; numeroſa ſunt, pluresque eorum dantur varietates. Inter omnes cercopithecos *macaque* papionibus ſimillimus eſt; mores tamen eius leniores ſunt. Caeterum animalia tam ſordida et cum aſpectu turpia ſunt, dum geſticulantur, vt abſque horrore et nauſea aſpici nequeant. Gregatim ſaepe ad furandos fructus et legumina incedunt. *Macaque* burſas habet ſub malis natesque calloſas, caudam octodecim vel viginti pollices longam, caput craſſum, roſtrum valde magnum, p. 190.

faciem nudam, liuidam et rugoſam, aures villoſas, corpus breue et quadratum, crura breuia et craſſa. Pili partium ſuperiorum ex cinereo virideſcunt, pectus vero et venter ex griſeo flaueſcunt. Supra caput paruam criſtam piloſam habet; pedibus quatuor et interdum duobus incedit. Longitudo corporis vna cum capite octodecim ſeu viginti pollices eſt. Dantur autem et maiora et minora. Quod ad *aigrette* attinet, hoc non niſi varietas prioris eſſe videtur: tertiam partem minor eſt; loco criſtae in vertice capitis aculeus rectus et acutus deprehenditur; frons nigra et cauda longior eſt. Foemellae menſtruatae ſunt. Coecum inteſtinum in *macaque* breue, craſſum et conicum eſt; lingua ampla, craſſa. Dentes numero, forma et ſitu vt in *mandrill* et *papione* ſunt. Oſſa autem, vt in *magot*, ſe habent.

p. 208. 10) *Patas;* eandem regionem inhabitat, quam *Macaque*, eandemque fere magnitudinem habet, corpus tamen magis elongatum, faciesque minus turpis, pilique pulchriores ſunt; color enim eorum adeo rufus eſt, vt animal pictum eſſe videatur. Supra oculos taenia piloſa nigra ab vna aure ad alteram ſe extendit, in aliis autem eadem taenia piloſa alba eſt. Animali huic burſae ſub malis ſunt, natesque calloſae; vertex capitis planus, roſtrum longum, corpus elongatum, crura longa; pili in naſo nigri et ſupra orbitas taenia nigra; dorſum pilis rufis fere rubris, reliquae autem partes pilis ex griſeo flaueſcentibus veſtitae ſunt. Irritatum animal maxillas non mouet, vt reliqui cercopitheci. Plerumque quatuor, et interdum duobus pedibus incedunt. A fine roſtri ad ortum caudae vſque pedem vnum cum dimidio aut duos pedes longi ſunt. Foeminae menſtruatae ſunt. Ventriculus huius animalis parvus et oblongus eſt; coecum inteſtinum breue et conicum; veſicula fellea fere cylindrica; lingua craſſa

inque

inque apice rotunda. Vertebrae dorſales duodecim et vtrinque totidem coſtae ſunt. Cauda ex ſedecim vetebris ſpuriis conſtat.

11) *Malbrouck;* ſimia (*faunus*) LINN. et *bonnet-chinois.* Duo haec animalia varietates tantum eſſe videntur. In Bengala occurrunt. Arbores inhabitant; fructibus et plantis ſucculentis viuunt, ſique eſca haec deficit, inſecta deuorant et interdum ad fluviorum ripas ſe conferunt, piſcesque et cancros capiunt. Hoſtes eorum ſerpentes ſunt. *Malbrouck* burſas ſub malis, natesque calloſas habet. Cauda longitudine corporis cum capite eſt. Palpebrae coloris carnei, facies ex griſeo cinerea, oculi magni, roſtrum amplum et eleuatum, aures magnae et coloris carnei ſunt. In fronte taenia piloſa griſea eſt, ſuperiores vero corporis partes ex flauo fuſcae, reliquae ex griſeo flaueſcentes ſunt. Quatuor pedibus incedit et ab extremitate roſtri ad ortum caudae vſque pedem vnum cum dimidio longum eſt. Quod ad alterum animal, *bonnet-chinois* dictum, attinet, iſtud praecedentis varietas eſſe videtur, a quo differt, pilis in vertice ſub forma galeae planae in circulum diſpoſitis, caudaque pro ratione corporis longiore. Foemellae in vtrisque menſtruatae ſunt. Ventriculus magnus, inteſtinum coecum magnum, breve et figurae conicae obtuſae eſt. Lingua vt in papione. Vertebrae dorſales duodecim et vtrinque totidem coſtae ſunt. Cauda ex vertebris ſpuriis vna et viginti componitur. p. 224.

12) *Mangabey;* ſimia (*aethiops*) caudata imberbis, vertice pilis arrectis lunulaque frontis albis LINN., varietas ſcilicet ſimiae (*cephi*) eiuſdem auctoris. Animal hoc, quod inter lemures et cercopithecos intermedium eſſe videtur et in Madagaſcar occurrit, burſas ſub malis natesque calloſas habet. Cauda longitudine corporis cum capite eſt. Circa p. 244.

oculos eminentia quaedam, et palpebrae ſuperiores ad modum albae ſunt. Roſtrum craſſum et longum eſt; ſupercilia ex pilis rigidis aſperiſque conſtant; aures nigrae fereque nudae ſunt. Pili in partibus ſuperioribus fuſci, inque inferioribus gryſei ſunt. Huius ſpeciei varietates dantur; ſiquidem aliae vnicolores ſunt, aliae autem circulum pilorum alborum ſub forma monilis circa collum, et ſub forma barbae circa genas habent. Quatuor pedibus incedunt. Ab extremitate roſtri ad finem caudae vſque pedem fere vnum cum dimidio longa ſunt. Foemellae menſtrua experiuntur. Ventriculus magnus eſt; coecum inteſtinum medio in loco lateris dextri ſitum occupat; lingua ampla et craſſa apparet. Sceleton huius animalis multum cum ſceleto ſimiae *patas* i *bandeau noir* dictae, conuenit.

p. 258. 13) *Mone;* mona, cercopithecus pilis ex nigro et rufo variegatis veſtitus, pedibus nigris, cauda cinerea BRISSON. Hoc animal inter cercopithecos vulgatiſſimum eſt, et non ſolum in calidiſſimis Africae et Indiae meridionalis regionibus, ſed etiam in Barbaria, Arabia, Perſia aliiſque prouinciis Aſiae occurrit. Veteribus iam notum ſub nomine *cebi* ſeu *cephi* deſcribitur. Viuidum neque ferox eſt; cicuratum tangi ſe patitur, carnemque panem et fructus, immo araneas, formicas et inſecta edit. Burſas ſub malis natesque calloſas habet. Cauda duos pedes longa eſt; caput paruum et rotundum, roſtrum magnum et breue, facies coloris carnei fuſci, (*baſanée*) eſt. Faſciam piloſam coloris gryſei in fronte et aliam nigram ab oculis ad aures, et ab auribus ad brachia vſque excurrentem habet. Barbae gryſeae ſpeciem oſtendit. Color corporis ex rufo et nigro variegatus, ſub ventre albus, inque cruribus et pedibus extrorſum niger eſt. Cauda colorem ex gryſeo fuſcum et ad ortum vtrinque duas maculas albas

albas habet. Pedibus quatuor incedit. Ab extremitate roſtri ad ortum caudae vſque pedem vnum cum dimidio longum eſt. Foeminae menſtruatae ſunt. Ventriculus rotundus, inteſtinum autem coecum magnum, breue, conicum inque extremitate rotundum eſt. Coſtas veras vtrinque nouem et ſpurias tres habet. Cauda ex vertebris ſpuriis quatuordecim conſtat.

14) *Callitriche;* ſimia (*ſabaea*) caudata, imberbis, flauicans, facie atra, cauda cinerea, natibus caluis LINN. Hoc animal in Mauritania occurrit, burſas ſub malis, natesque calloſas et caudam, corpore vna cum capite ſumto, longiorem habet. Caput parvum eſt, roſtrum elongatum, facies et aures nigrae, loco ſuperciliorum in inferiore parte frontis faſcia piloſa nigra, reperitur. Color in corpore viuide viridis cum flauo aliquantum mixtus, inque pectore et ventre ex albo flaueſcens eſt. Pedibus quatuor incedit. Longitudo corporis totius quindecim pollices eſt. Foemellae menſtruatae ſunt. Lingua longa, ampla et craſſa, apex vero tenuis eſt. p. 272.

15) *Mouſtac;* myſtax. In eadem regione, vbi *macaque* deprehenditur, occurrere, idemque animal eſſe videtur quod a peregrinatoribus *blanc-nez*, (naſus albus) vocatur. Animal hoc burſas ſub malis natesque calloſas et caudam, corpore longiorem, habet. Vnum de viginti ſeu viginti pollices longum eſt. Facies ex nigro coeruleſcit, ſubque naſo et in toto labio ſuperiori, quod in hac parte nudum eſt, magna et ampla macula ſub forma ſudis (*chevron*) apparet; margines tamen labiorum pilis nigris obſiti ſunt. Corpus breue et craſſum eſt. Sub auribus duo magni cirri piloſi, coloris viuide flaui, ſimilesque in capite deprehenduntur. Pili corporis ex cinereo virideſcunt; pectus et venter ex cinereo albeſcunt. Pedibus quatuor incedit, corpusque cum capite vnum p. 283.

vnum pedem longum eſt. Foeminae menſtruatae ſunt.

p. 287. 16) *Talapouin;* paruum hoc animal in Siamenſi regno, aliiſque prouinciis Aſiae orientalis, nec in America occurrere videtur. Argumentum ex eo deſumitur, quod burſas ſub malis natesque calloſas habet, qui characteres ſimiis, quas *ſagouins* vel *ſapajous* dicunt, non competunt, quippe, quae vnice illa animalia ſiſtunt, quae cum cercopithecis comparari poſſunt. Duos pedes dictum animal altum eſt, pilos admodum nigros cum barba alba habet et egregiam pellem largitur. Inteſtinum coecum craſſum, breue et conicum eſt; veſicula fellea oui oblongati figuram habet. Lingua ampla et craſſa eſt. Vertebrae dorſales duodecim et vtrinque totidem coſtae numerantur. Cauda ex vertebris ſpuriis viginti quinque componitur.

p. 298. 17) *Douc;* cercopithecus cinereus, genis, longis pilis, ex albo flauicantibus obſitis, torque ex caſtaneo purpuraſcente BRISSON. Animal hoc neque ſimia, neque papio, neque cercopithecus eſt, ſed ab omnibus aliquid oſtendit; tranſitum ad *ſapajous* facit, ſed ab iis differt, quod nunquam in America occurrit. Deprehenditur in Cochinchina. Nates calloſas non habet, quae potius vndique pilis obſitae ſunt. Cauda longa quidem eſt, ſed longitudinem corporis, cum capite computati, non habet. Facies rubra et pilis mollibus tecta eſt. Aures nudae eiuſdem coloris ſunt; labia fuſca ſunt, eundemque colorem oculorum orbitae habent. Pili colores admodum viuidos et valde variegatos oſtendunt. Faſciam et monile ex fuſco purpureum fert. In fronte, capite, corpore, brachiis, cruribus cet. albeſcit. Barbam habet ex albo flaueſcentem. Super frontem et partem ſuperiorem brachiorum nigreſcit. Partes ſub corpore ex griſeo cinereae et ex flauo albicantes ſunt.

Cauda

Cauda et inferior pars lumborum alba eſt. Tum quatuor, tum duobus pedibus incedit. Erectum animal tres pedes cum dimidio ſeu quatuor longum eſt. Num foemellae huius ſpeciei menſtruatae ſint, Cl. BUFFON certo affirmare nequit.

Comtemplationibus his animalium expoſitis, p. 311.
vtiles aeque ac periucundas de degeneratione animalium ſubnectit meditationes, ex quibus praecipua tantum momenta paucis communicamus. In hominem terra, quam inhabitat, per alimenta influxum habet; influxus aeris et coeli ſuperficialiter magis agit. Hic mutationem in ſuperficie corporis producit, et colorem cutis inprimis mutat, ille formam interiorem per proprietates ſuas, quae reſpectu proprietatum terrae, nutrimentum largientis, ſemper relatiuae ſunt, mutat. Hae tamen mutationes non ſubito fiunt, ſed ſaecula cum continuato vſu victus vnius eiuſdemque requiruntur, ſi influxus iſte formam ſeu lineamenta, magnitudinem corporis, criniumque indolem mutare, et mutationes quoque in interioribus produci debeant. Hae tamen mutationes, per generationem perpetuatae, characteres generales et conſtantes praebuerunt, quibus varietates et nationes diuerſae, quae genus humanum conſtituunt, cognoſcuntur. In animalibus effectus iſti promtiores et maiores ſunt, cum nutrimentum eorum ſimplex magis magisque conſtans, nec vlla ratione praeparatum fortiorem influxum habeat. Accedit ad hoc, quod animalia nullis veſtimentis ſe induere, neque ab aëre ſe defendere, neque elementum ignis in vſum conuertere ſciant. Quapropter nuda, ſemper actioni aeris et climatis intemperiei expoſita, ſingula zonam ſuam ſuamque regionem quaerere coguntur. Qui itaque mutationes et degenerationes animalium exponere, ſibi proponit, ad climatis

matis conditionem, nutrimenti qualitatem et mala demum, ex captiuitate oboriunda, attendere tenetur. Vt in exemplo res clarior fiat, comparetur ouis noſtra cum *moufflon*, (capra ammon LINN.), ex quo, quot-quot ſint, oues proueniunt. *Moufflon* animal magnum et leue, cornubus vngulisque craſſis armatum, pilis aſperioribus tectum eſt, nec coeli inclementiam, nec lupi voracitatem metuit. Quanta autem differentia inter hoc et ouem noſtratem! In caliſſimis Africae et Aſiae regionibus *moufflon* parum admodum degeneratum reperitur; ouium Senegalenſium et Indicarum natura omnium minime mutata cernitur; oues in Barbaria, Aegypto, Arabia, Perſia, Armenia, Calmuccia etc. maximas mutationes paſſae ſunt: in noſtris demum climatibus originariae ouis ſpecies degeneratio adhuc magna eſt. Si quis itaque ouibus vires et formam reſtituere vellet, *moufflon* cum oue noſtra coniungere teneretur; et ſi quis oues bonae carnis bonaeque lanae deſideraret, oues ex Barbaria apportare, opus haberet. Id tamen diſcrimen ſemper obſeruandum eſt, vt ad genus maſculinum et foemininum attendatur. Vires enim corporis eiuſdemque magnitudo a maſculo, bona autem corporis qualitas, ſeu corpulentia et cutis pulchritudo a foemella dependet. Si enim cum ariete noſtro ouis foemina ex Barbaria coniungitur, lana bona, ſique cum oue noſtrate *moufflon* coniungitur, progenies bonae ſtaturae obtinetur. Ad haec autem influxus nutrimenti maxime attendendus eſt, quippe qui maior adhuc eſſe videtur, inque animalia, quae herbis et fructibus veſcuntur, ſenſibiles magis effectus producit. Quae autem carne viuunt animalia, minus variant, cum caro alimentum iam praeparatum inque naturam animalis carniuori iam aſſimilatum ſit; plantae autem, quae prima terrae producta ſunt, omnes eiuſdem proprietates habent,

bent, et qualitates terreſtres in animal, quod his veſcitur, immediatae propagant. Domeſticus ſtatus multum ad mutandos colores animalium contulit. Color enim in genere a natura fuluus, ſeu niger in domeſticis animalibus variegatus nunc eſt, in feris autem magnae illae mutationes, quae in domeſticis deprehenduntur, locum non habent. Clima enim et nutrimentum in animalia libera tantum imperium, vt homo, non habet. Cum autem nihilominus varietates in feris deprehendantur, praecipue earum ab alia cauſſa dependent. Si nimirum maſculus foemellae fidelitatem praeſtat, nec mutabilis aliis ſe adiungit, pulli ſemper ſimiles producuntur, pullique ſimiles conſtantis fidelitatis parentum ſignum praebent; vbi vero foemellae maſculos mutant, et mox hunc, mox illum admittunt, vt in cervis animaduertitur, numeroſa demum deprehenditur varietas. Praeter has mutationes alia adhuc maior in ipſis ſpeciebus eſt, quae maiorem attentionem meretur, ſi nimirum ſpecies ipſae ſe inuicem ſibi miſcent, et animalia diuerſa producunt. Exemplo ſint muli, ex equa et aſino generati. Notandum autem eſt, has degenerationes non niſi in animalibus vnius eiuſdemque generis locum habere, et requiri, vt organa generationis ſibi reſpondeant. Hanc ob cauſam quidem ex equa et aſino nunquam autem ex tauro et equa proles producitur. Equa enim et aſinus non adeo differunt, inter taurum autem et equam tam in interioribus, quam exterioribus partibus magnum deprehenditur diſcrimen. Egregie hic Noſter rem exponit, inque mulorum hiſtoria multus eſt; ſed pedem figimus, haecque exempli loco adduxiſſe, ſufficiat, quo Lectores Noſtri videant, quae ſit vtilitas, quae ex eiuſmodi conſiderationibus ſit expectanda.

X.

Hiſtoire naturelle, générale et particuliere, avec la deſcription du cabinet du Roi. Tome quinzieme. A Paris de l'imprimerie Ro, ale. 1767. 4. alph. 2. pl. 21. tabb. aen. 18.

i. e.

Hiſtoria naturae vniuerſalis et particularis vna cum deſcriptione muſei regii. Tomus XV. cet.

Continuantur in hoc tomo deſcriptiones animalium, quae *quadrumana* vocantur. In praecedenti enim de ſimiis, papionibus et cercopithecis, animalibus in Africa et Aſia obuiis dictum eſt, nunc autem de *ſapajous* et *ſagouins*, animalibus tantum in America occurrentibus, agitur. Pedes eorum, vt in ſimiis, papionibus et cercopithecis conſtructi ſunt; a ſimiis tamen differunt caudis elongatis, a papionibus autem et cercopithecis, burſarum ſub malis defectu et natibus non caluis. Tandem a tribus iſtis generibus in vniuerſum diſtinguuntur *ſapajous* et *ſagouins*, naribus amplis, patulis et ad latus ſitis, ſeptoque craſſiore. *Sapajous* autem in genere caudam muſculoſam habent, prehenſilem, in apice pilis non veſtitam, ſed nudam, qualis in ſue fere eſt. In *ſagouins* contra cauda, habita proportione, longior, quam in *ſapajous*, infimulque pilis veſtita et recta eſt. *Sapajous* quinque ſunt ſpecies: 1) *Ouarine* ſeu *gouariba*, cuius varietas eſt *alouate;* 2) *coaita*, eiuſque varietas *exquima;* 3) *ſajou* ſeu *ſapajou* proprie ſic dicta, eiuſque varietas *ſajou griſeus;* 4) *ſaï;* et 5) *ſaimiri*. *Sagouinorum* vero ſex numerantur ſpecies: 1) *Saki;* 2) *tamarin;* 3) *ouiſtiti;* 4) *marikina;* et 5) *mico*.

p. 5. 1) *Ouarine;* ſimia (*belzebul*) caudata, barbata nigra, cauda prehenſili, extremo pedibusque bruneis

LINN. *) et *alwate*, ſimia (*ſeniculus*) caudata, barbata, rufa, cauda prehenſili. Haec inter quadrumana Americae animalia maxima ſunt. Arbores inhabitant; fructibus, leguminibus, granis et nonnullis inſectis viuunt. Vox eorum rauca eſt et admodum ingrata. Foemellae vnum ſeu ad ſummum duos pullos pariunt. Animalia haec vt reliqua orificia narium in latere poſita, ſeptum craſſum, nullas burſas ſub malis, neque nates calloſas, ſed pilis obſitas habent. Cauda prehenſilis eſt et valde elongata, pili nigri et longi, inque gula magnum os concauum deprehenditur. Magnitudinem canis venatici habent. Pili ſub collo ſpeciem barbae rotundae faciunt. *Alwate* differt barbae defectu, pilisque ex rubro fuſcis. Foemellas non menſtruatas eſſe, ex analogia Cl. BUFFON coniicit, cum in ſimiis tantum, papionibus et cercopithecis, natibus caluis, foemellae menſtruatae reperiantur.

2) *Coaita;* ſimia (paniſcus) caudata imberbis atra cauda prehenſili palmis tetradactylis LINN. et *exquima;* cercopithecus barbatus Guineenſis MARCGRAV ſ. ſimia (diana) LINNAEI. Animalia haec ſagacia ſunt; gregatim incedunt, ſibique invicem opitulantur. Cauda eis, ceu quinta manus inſeruit, eiuſque ope piſces capere dicuntur. Plerumque vnum ſeu duos pullos pariunt, hoſque ſemper in dorſo circumducunt. Piſcibus, vermibus, inſectis, praecipue autem fructibus viuunt, eoque tempore, quo fructus copioſi et maturi ſunt, pingueſcunt, tuncque caro eorum edulis eſſe dicitur. In coaita pedes anteriores quatuor tantum digitis inſtructi, p. 16.

*) Cl. BUFFON ſpeciem hanc *ſimiam paniſcum* LINN. eſſe contendit, ſed ſynonyma a LINNAEO adducta contrarium probant.

ſtructi, pollice carent *). Pili corporis nigri ſunt, facies nuda; aures itidem nudae formam humanarum fere habent. Pedem vnum cum dimidio hoc animal longum eſt. Cauda longior eſt corpore et capite ſimul ſumtis. Pedibus quatuor incedit. Exquima praecedentis animalis varietas Noſtro videtur; differt ab eo quoad colores, qui in dorſo nigri et gilui, inque gula et ventre albi ſunt. Praeterea etiam barbam albam habet. Foemellae vtriusque animalis menſtruatae non ſunt. Corpore animalis, *coaita* dicti, aperto plures vermes admodum longos, tredecim pollices longitudine aequantes, et tenues admodum ſuper inteſtinis deprehendit Cl. DAUBENTON. Ventriculus pyri formam habet. Veſicula fellea admodum longa et cylindrica, coecum inteſtinum longum, formaeque litui (*croſſe*) ei. Dentes numero triginta ſex, vertebrae dorſales quatuordecim et vtrinque totidem coſtae, vertebrae lumborum quatuor fuerunt: os ſacrum ex vertebris ſpuriis duabus, cauda vero ex triginta tribus compoſita fuit.

P. 37. 3) *Sajou;* ſimia (capucina) caudata imberbis fuſca cauda prehenſili hirſuta, pileo artubusque nigris natibus tectis LINN. Hoc animal valde viuidum et agile eſt, et vnum vel duos pullos parit. In his animalibus id ſingulare eſt, quod foemellae ſaepe pro maſculis habentur, ſiquidem clitoris extrorſum eminens, penem refert. Animalia haec nec burſas ſub malis, nec nates calloſas habent; facies et aures coloris carnei ſunt, tenuique lana ſeu plumulis tantum veſtiuntur; ſeptum narium craſſum, et orificia earum ad latera aperta ſunt; oculi coloris ſpadicei ſibi inuicem approximati ſunt. In aliis

*) Pollicem in hac ſpecie minorem tantum eſſe, introrſum a ceteris remotum LINNAEUS aſſerit. vid. *Syſt. Nat.* Ed. XII. T. I. Vol. I. p. 37.

aliis horum animalium color pilorum niger et fuſcus, in aliis autem pili circa faciem gryſei inque corpore ex giluo fuſci, in vtrisque tamen manus nigrae et nudae ſunt. Ab extremitate roſtri ad ortum caudae vſque vnum tantum pedem longa ſunt. Pedibus quatuor incedunt. Foeminae menſtruatae non ſunt. Ventriculus magnitudine reliqua viſcera cuncta aequat, et veſicula fellea figuram ouatam habet. Lingua in poſteriore parte valde craſſa, in anteriore autem tenuis apparet. Dentes triginta ſex, vertebrae dorſales quatuordecim, et vtrinque totidem coſtae, vertebrae lumborum quinque numerantur. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus et cauda ex viginti duabus componitur.

4) *Saï;* animal hoc mite, docile et timidum eſt, p. 51. et ad minas vel minimas vocem lamentabilem edit. Hinc etiam a nonnullis *pleureur* vocatur. Duos tantum pullos edit. Granis fructibuſque ſylueſtribus viuit. Arbores inhabitat, raroque deſcendit. Characteribus diſtinctiuis cum reliquis *ſapajous* conuenit; praeterea facies rotunda et plana, aures fere nudae apparent. Color in partibus ſuperioribus corporis ex fuſco nigreſcens, in inferioribus autem ex giluo ſtramineus ſeu ſordide albus eſt. Pedem vnum ſeu pollices quatuordecim longum eſt. Cauda corpore et capite longior eſt. Pedibus quatuor incedit. Foeminae non menſtruatae ſunt. Dantur nonnulla, quae in pectore ſub collo et circa aures et genas albeſcunt, faciemque pilis magis deſtitutam habent. Veſicula fellea admodum longa et irregularis linguaque ampla eſt. Dentes minores, quam in *ſajou* ſunt; vertebrae dorſales et coſtae, vt in praecedenti animali ſe habent; vertebrae lumborum ſex numerantur; os ſacrum ex vertebris ſpuriis quatuor et cauda ex viginti ſex conſtat.

p. 67. 5) *Saïmiri;* ſimia (ſciurea) caudata imberbis, occipite prominente, vnguibus quatuor plantarum ſubulatis, natibus tectis LINN. *ſapajou-jaune* BRISSONII. Animal hoc ob motus ingenioſos, formam paruam, colorem ſplendentem pellis, magnitudinem qua cum ſciuro conuenit, et vigorem oculorum, faciem paruam et rotundam, reliquis *ſapajous* ſemper praefertur. Praeter characteres, *ſapajous* communes, frontem fere nullam, colorem flauum ſplendentem, eminentias carnoſas circa oculos, naſumque ad radicem eleuatum, et ad orificia depreſſum habet. Os paruum, facies plana et nuda, aures pilis obſitae et aliquantum acuminatae ſunt. Cauda non adeo muſculoſa corpore longior eſt: ipſum animal vix decem vel vndecim pollices longum deprehenditur. Pedibus poſterioribus facile inſidet, ſed quatuor plerumque incedit. Foemellae non menſtruatae ſunt. Hoc animal medium inter *ſapajous* et *ſagoins* tenet. Ventriculus rotundus, linguaque ampla et craſſa eſt. Dentes triginta ſex, vertebrae dorſales quatuordecim et vtrinque totidem coſtae, vertebrae lumborum autem tres numerantur. Os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus, cauda vero ex triginta componitur.

p. 88. 6) *Saki;* ſimia (pithecia) caudata imberbis, vellere nigro, apice albo, cauda nigra longiſſima LINN. *Singe renard* BRISS. Maximum inter *ſagoins* eſt. Praeter characteres his animalibus communes faciem coloris ſpadicei, lana ſeu pilis mollibus, breuibus et albicantibus veſtitam habet. Pili partium ſuperiorum corporis ex fuſco nigri, in ventre autem partibuſque inferioribus ex albo rufeſcentes, vndique vero longi, et longiores adhuc in cauda ſunt, ita vt in extremitate fere duos pollices longi appareant. Ratione coloris varietates huius animalis ſunt; dantur enim, quorum color ex giluo-rufeſcens eſt. Animal

mal hoc pedibus quatuor incedit, et ab extremitate naſi ad ortum caudae vſque fere pedem vnum cum dimidio longum eſt. Foemellae menſtruatae non ſunt.

7) *Tamarin;* ſimia (midas) caudata imberbis labio ſuperiori fiſſo auribus quadratis nudis, vnguibus ſubulatis, pedibus croceis LINN. Hoc animal auribus inprimis ſe diſtinguit. Praeter communes enim *ſagoins* characteres aures quadratas, amplas, nudas, coloris obſcuri carnei, faciemque ſimilis coloris habet. Oculi coloris ſpadicei ſunt. Labium ſuperius fere, vt in lepore, fiſſum eſt. Caput, corpus et cauda pilis ex fuſco nigris, ſetarum inſtar erectis, mollibus tamen, veſtiuntur; manus et pedes pilis breuibus ex flauo aurantiis obſiti, et corpus atque crura bene proportionata ſunt. Pedibus quatuor incedit. Caput cum corpore ſeptem vel octo pollices longum eſt. Foemellae menſtruatae non ſunt. p. 92.

8) *Ouiſtiti;* ſimia (iachus) caudata, auribus villoſis patulis, cauda hirſutiſſima, vnguibus ſubulatis, pollicum rotundatis LINN. Praeter characteres, *ſagoins* communes, caudam piiis alternatim circuli in modum nigris et albis ſeu potius fuſcis et griſeis denſe annulatam, caput rotundum, ſuper frontem pilis nigris tectum habet. Sub fronte ſuper naſum macula alba abſque pilis eſt. Facies ibidem fere nuda colorem obſcure carneum habet. Ad latera capitis ante aures duo faſciculi pilorum longorum et alborum conſpiciuntur. Aures rotundae, planae, tenues et nudae ſunt. Oculi colorem ex ſpadiceo rubentem habent. Corpus pilis mollibus ex griſeo cinereis veſtitum eſt: in gula autem, pectore et ventre pili ex griſeo diluto cum flauo mixtum colorem habent. Pedibus quatuor incedit, et a fine naſi ad ortum caudae vſque vix pedem dimidium longum eſt. Foeminae menſtruatae non ſunt. p. 96.

Dentes triginta duo, vertebrae dorſales tredecim, et vtrinque totidem coſtae, vertebrae autem lumborum ſex numerantur; os ſacrum ex vertebris ſpuriis tribus et cauda ex viginti ſeptem conſtat.

p. 108. 9) *Maritina;* ſimia (roſalia) caudata imberbis capite piloſo, faciei circumferentia pedibusque rubris, vnguibus ſubulatis LINN. *le petit ſinge-lion* BRISSON. Praeter characteres communes hanc animali aures rotundae et nudae ſunt. Pili circa faciem longi colorem rubrum aureum habent. Longi pariter pili ex albo flaueſcentes et ſplendentes a reliquo corpore, inque caudae apice faſciculus notabilis apparet. Pedibus quatuor incedit, et octo vel nouem pollices longum eſt. Foemellae menſtruatae non ſunt. Hoc animal vulgo *ſinge-lion* vocatur: crines enim circa faciem et cauda in apice floccoſa, vt in leone, ſunt.

p. 114. 10) *Pinche;* ſimia (oedipus) caudata imberbis capillo dependente, cauda rubra, vnguibus ſubulatis. LINN. Animal hilare eſt, figura ſingulari. Vox eius lenis cantui paruae auis magis, quam animalis voci ſimilis deprehenditur. Praeter characteres, *ſagoinis* communes, facies, gula et aures nigrae, pilis longis albis veſtitae, apparent. Roſtrum amplum, facies rotunda, pili corporis ſat longi, ex fuſco gilui ſeu ruſi, ad caudam aurantii, in pectore vero, ventre, manibus et pedibus, vbi breuiores, quam in corpore ſunt, albae reperiuntur. Cauda a baſi ad medium colorem ſanguineum, dein ex rufo fuſcum inque apice nigrum habet. Pedibus quatuor incedit. Novem pollices longum eſt.

p. 121. 11) *Mico;* cercopithecus ex cinereo albus argenteus, facie auriculisque rubris ſplendentibus, cauda caſtanei coloris, *le petit ſinge de Para* BRISSON. Elegantiſſimum hoc animal faciem et aures nudas, coloris cinnabarini, roſtrum breue, oculos diſtantes, aures

aures magnas habet; pili coloris albi argentei ſunt, cauda vero fuſca fereque nigra apparet. Pedibus quatuor incedit et ſeptem vel octo pollices tantum ſongum eſt. Foemellae non menſtruatae ſunt.

Expoſitionibus his notitiam quorundam anima- p. 128.
lium, quorum in hoc opere mentio facta non eſt, adiunxit Cl. BUFFON, de quibus ſtatim monet, pleraque eorum non pro ſpeciebus diuerſis, ſed pro varietatibus habenda eſſe. Ne autem quidquam deſideretur, ea etiam paucis attingere, placuit.

1) *Ours blanc;* vrſus albus in regionibus ſeptentrionalibus obuius ſpeciem diuerſam non ſiſtit, ſed cum vrſo alpino idem animal eſt. Cum autem piſcibus viuere inque climate frigidiori verſari cogatur, mores eius atque natura aliquam mutationem patiuntur. Hinc ob victum magis oleoſum pinguior fit et ob clima frigidum atque ob id, quod ſaepius aquas intret, pellis eius pilis longioribus et copioſioribus, ſimulque mollioribus et albis veſtitur.

2) *Vache de Tartarie;* bos (grunniens) cornibus p. 136.
teretibus extrorſum curuatis, vellere propendente, cauda vndique iubata LINN. vacca grunniens villoſa, cauda equina GMELIN. Hoc animal a boue, qui *biſon* vocatur, vix differt. Non mugire, ſed grunnire dicitur; verum grunnitus ſignum irritati animalis, nec ſingularem characterem conſtituere Noſtro videtur, ſiquidem vox bouis *tauri*, ſi irritatur, grunnitui potius, quam mugitui ſimilis eſt. Hinc vaccam hanc grunnientem pro varietate tantum, nec pro diuerſa ſpecie cenſendam eſſe, putat.

3) *Tolai;* cuniculus inſigniter caudatus coloris p. 138.
leporini GMELIN. Animalculum hoc, in Tartaria obuium, a cuniculo communi longitudine caudae differt; hinc pro varietate tantum habendum eſt.

p. 139. 4) *Ziſel;* mus (citellus) cauda abbreuiata, corpore cinereo (elongato) auriculis nudis LINN. Hoc animal cum criceto quidem aliquo modo conuenit, ſed ab eo differt corpore elongato et graci, auriculis nullis, ſed orificiis tantum, ſub pilis latitantibus; colorem griſeum plus minus cinereum habet. Cum praeterea duo haec animalia nunquam coëant, licet alias quoad caudam, crura, dentes et mores conveniant, illa pro ſpeciebus diuerſis habenda eſſe, conſiciendum eſt.

p. 142. 5) *Zemni;* animal hoc, cuius RZACZINSKY mentionem facit, in Polonia et Ruſſia reperiundum ad praecedentis animalis genus pertinet, ſed maius, fortius et ferocius eſt. Caput craſſum, corpus gracile, aures breues et rotundas, dentesque inciſiuos et maxilla exſertos, coloremue griſeum habet. Mores cum citelli et criceti moribus conueniunt.

p. 143. 6) *Pouc*, quod apud EUNDEM auctorem occurrit, in Ruſſia obuium pro eodem animalculo Noſter habet, quod SEBAE *mus Norwegicus* vocatur. Ratto domeſtico maius eſt.

p. 143. 7 *Perouaſca;* vocula haec polonica *muſelam praecinctam* ſignificat. Hoc animalculum marte putorio minus, pilis albicantibus veſtitum, pluribusque lineis transuerſalibus ex flauo rufeſcentibus ſtriatum eſt. Syluas inhabitat. Cuniculos ſibi parat. Pellem bonae indolis dat.

p. 144. 8) *Souſlik;* animal in Ruſſia obuium muri agreſti, quem Cl. BUFFON *campagnol* (*gregarius* LINN.?) vocauit, ſimile eſt, a quo autem quoad pellem differt, quippe quae ex griſeo gilua eſt, paucis maculis albis vndique interſperſis notata.

p. 145. 9) *Taupe dorée;* talpa aurata; talpa (*aſiatica*) ecaudata palmis tridactylis LINN. Species haec in Siberia obuia, a talpa communi differre videtur. Illi enim cauda nulla, roſtrum breue, pili ex rufo et viridi

ridi colore mixti, in pedibus anterioribus digiti tres inque posterioribus quatuor sunt.

10) *Rat d'eau blanc;* mus amphibius LINN. al- p. 146.
bus, in Canada obuius, cum mure amphibio Europaeo conuenit et non nisi colore albo differt, quippe qui a climate frigido prouenit.

11) *Cochon de Guinée;* sus (porcus) dorso po- p. 146.
stice setoso, cauda longitudine pedum, vmbilico cystifero LINN. nonnullis quidem characteribus a porco vulgari differt, sed a Cl. BUFFON pro vna eademque specie habetur, omneque discrimen ipsi a climate prouenire videtur. Pilos breues rufos, neque setas habet. Caput minus est, aures tamen admodum longae, acuminatae et collo retrorsum impositae. Cauda itidem praelonga terram fere attingit, nullis pilis obsita.

12) *Sanglier du Cap Verd;* aper promontorii p. 148.
viridis, ob dentes insigniter ex maxilla superiore prominentes, porro ob orificia narium maxime patula et ob formam maxillae, dentiumque valde diuersam a communi apro quidem differt, sed pro varietate tantum habendus est.

13) *Loup de Mexique;* lupus Mexicanus a lupo p. 149.
communi non nisi colore valde variegato differt; hinc pellem egregiam praebet, reliquis praeferendam.

14) *Alco;* canis Mexicanus HERNANDEZ, cau- p. 151.
da deflexa laeui corpore cinereo fasciis fuscis, maculisque fuluis variegato LINNAEI. Nomine hoc animal iam ante Europaeorum in Americam aduentum notum, Mexicanum et Peruanum insignitur, quod eandem magnitudinem eandemque fere indolem, quam canis familiaris habet. Sub hoc nomine tres intelliguntur species; prima maximum inter canes Americanos sistit; hic *xoloizicuintli* vocatur: tres iste vlnas longus, plane nuda et molli cute maculis

flauis coeruleisque notata veſtitus eſt. Alter canis pilos albos, nigros et flauos habet, quoad magnitudinem paruis canibus Melienſibus ſimilis eſt, dorſum gibberoſum et collum tam breue habet, vt caput immediate ex ſcapulis prodire videatur, vocatur *michuacanens.* Tertius nomen *techichi* habet, paruis canibus noſtratibus ſimilis eſt, ſed vultum agreſtem et triſtem habet.

p. 155. 15) *Tayra* ſeu *galera;* muſtela (barbara) pedibus fiſſis, atra, collo ſubtus macula alba triloba LINN. Animal hoc in Braſilia occurrit. Pilis fuſcis veſtitum eſt, quorum nonnulli ſatis longi, reliqui autem multo breuiores ſunt.

p. 157. 16) *Philandre de Surinam.* Didelphis (*dorſigera*) LINN. Hoc animal ex eadem regione eſt, quam inhabitant animalia, *ſarigue, marmoſe, cayopollin* et *phalanger* dicta, ad quae proxime accedit. Pili molles, qui lanae potius ſpeciem ſiſtunt, ex flauo rufeſcunt, ſeu rubri ſunt in corpore, in fronte autem, roſtro, ventre et pedibus ex flauo albeſcunt. Pullos quinque vel ſex parit, qui dorſum matris aſcendunt, caudisque ſuis caudam matris inuoluunt, ſicque a matre circumducuntur.

p. 158. 17) *Akouchi;* hoc animal cum mure *aguti* LINN. comparatum ab eo differt, quod caudam colorem que oliuaceum habet. Speciem itaque ſingularem conſtituere videtur.

p. 159. 18) *Tucan;* animalculum hoc talpae ſimile ab ea differt, quod pilos ex flauo rufos, inque pedibus anterioribus digitos tres, in poſterioribus autem quatuor habet, eiuſque caro edulis eſt, nec vnquam foramen, ex quo exiit, rurſus intrat, ſed nouum ſemper ſibi parat. Reperitur in noua Hiſpania.

p. 160. 19) *Muſaraigne de Breſil;* hoc animal ſorici *araneae* LINN. ſimile, ſed maius eſt, caudam vero breuiorem, duos pollices longam roſtrumque acuminatum

minatum et dentes valde acutos habet. Pili fuſci ſunt, a capite tamen ad caudam vſque tres ſtriae nigrae excurrunt.

20) *Aperea;* animal hoc braſilienſe neque cuniculus neque rattus eſt, licet cum vtrisque partes quasdam communes habere videatur. Pedem vnum longum eſt, et ſeptem pollices in peripheria habet. Color pilorum, vt in lepore, ſubque ventre albus eſt; labium fiſſum, dentes inciſiui magni, circa rictum et ad latera oculorum myſtax, aures, vt in ratto, rotundae, pedes anteriores tres pollices alti, poſteriores paulo longiores, inque anterioribus digiti quatuor et in poſterioribus tres apparent. Cauda nulla eſt. Caput; vt in lepore paulo elongatum et caro, vt in cuniculo, deprehenditur. p. 160.

21) *Tapeti;* cuniculus *braſileenſis* LINN. Animal hoc pro varietate cuniculi vel leporis habendum eſt. Cuniculo quoad figuram, lepori autem quoad magnitudinem et pilos ſimile eſt, praeterquam, quod pili magis fuſci ſint. Aures valde longae, pili in fronte rufi, ſubque gula albicantes inque nonnullis circulus albus circa collum, inque pectore et ventre pili albi apparent. Oculi nigri, myſtax vt in cuniculo, cauda vero nulla eſt. Quoad modum viuendi, foecunditatem et carnem cum lepore conuenit. Campos vel ſyluas, leporum more, inhabitat. Lepus itaque eſſe videtur, ex Europa in Americam translatus, vbi mutationem aliquam paſſus varietatem nunc ſiſtit. Patet itaque ex his, horum animalium hactenus conſideratorum nouem vel decem ſpecies diuerſas, reliqua autem pro varietatibus habenda eſſe; ſique haec reliquis, in toto hoc opere deſcriptis, adnumerantur, numerum omnium quadrupedum, in vniuerſo mundo reperiundorum, ducentas animalium ſpecies non ſuperare. p. 162.

Deſcri-

Descriptionibus his quadruplex index subnexus est: primo enim nomina animalium, in hoc opere descriptorum ordine alphabetico disposita reperiuntur; deinde index auctorum, qui in hoc opere hinc inde allegantur, sequitur; porro index rerum, a Cl. BUFFON consideratarum, locupletissimus et accurate digestus, communicatur; tandem index rerum, a Cl. DAUBENTON descriptarum, apponitur.

Itaque felici cum successu, quod optauimus, hoc opus ad finem perductum est, quod omnibus historiae naturalis aestimatoribus et peritis gratum acceptumque habetur, tum, quod animalium historia ita comparata est, vt non solum ea, quae dicta sunt, a falsis futilibusque repurgata hic reperiantur, sed et plura animalia, nondum descripta, hic primum occurrant, aliorumque iam cognitorum descriptiones emendatae sint; tum etiam, quod facili nunc negotio systema exstrui potest, quod a farragine nominum fictorum liberatum, non solum prodesse, sed etiam delectare lectores valet.

XI.

IOHANN GOTTFRIED GALLESKY, *der Arzneygelahrheit Doktors, Stadt- und Kraisphyſicus des Tilſitſchen Kraiſes, Abhandlung vom Miſerere oder von der Darmgicht, nebſt einigen Bemerkungen von den heilſamen Kräften des Leinöls in dieſer Krankheit. Mietau und Riga, in der Hartknochiſchen Handlung,* 1767. 8. 6 *Bogen.*

i. e.

Tractatus de ileo morbo ſeu paſſione iliaca: additis quibusdam obſeruationibus de ſalutari virtute olei lini in hoc morbo. Auctore IOANNE GODOFREDO GALLESKY.

Quum et ii, qui actiones ſingulorum medicamentorum eorumque vires et effectus curatius attendunt et vlterius confirmant, in medicina practica perfectiori reddenda operam ſuam ponant, omnique laude affici digni exiſtimentur: nobis maxime probari videtur propoſitum Cl. Auctoris, qui cum medicamento indigeno, minori ſumtu et vbique facile parando, oleo nimirum e ſeminibus lini experimenta, in aegris, morbo iliaco laborantibus, inſtituta, publicae luci tradere, vilisque hactenus viſi remedii vſum communem magis reddere ſtuduit. Illi enim, cum multa et varia remedia in aegro, ileo affecto, adhibuiſſet fruſtra, in mentem venit dictum L. B. a SWIETEN *in Commentar. ſuorum Tom. II. p.* 147. *in ſaeviſſimo* nimirum *ileo oleum lini, ad libram potatum, toties ab orci faucibus eripuiſſe homines.* Ac ſtatim cum hoc oleo periculum facere conſtituens, eius aliquot vncias aegro ordinauit, vt ſingulis horis paruas eius doſes aſſumeret. Praeterlapſis aliquot horis, optatus ſequutus eſt effectus, pertinax alui obſtructio ceſſauit

ceſſauit et aeger conualuit. Enarrationem, qua permotus eſt Auctor, vt plura hac de re caperet pericula, quibus optimo cum euentu inſtitutis, inuenit, et experientia multiplici edoctus confirmat, efficaciſſimum eſſe oleum lini in paſſione iliaca remedium.

Quo autem de vſu huius remedii certius et melius iudicium ferri poſſit, prius, obſeruationes ipſas quam tradit, morbi iliaci ſymptomata, cauſſas, diagnoſin, prognoſin atque ei medendi methodum do-
p. 9. cte et ſuccincte exponit. Signa eſſentialia huius morbi ſunt alui pertinax obſtructio, dolor abdominis acutus et vehemens ac tandem vomitus continuus, ex quibus eorumque effectibus cauſſa proxima deducitur, quae in obſtructione alui cum tenſione nervorum et nimio ventriculi ſtimulo conſiſtit. Obſervatione certum eſt, in ileo inteſtino non ſolum, etſi inde denominatio morbi orta eſſe videatur, ſed et in craſſis inteſtinis ſedem morbi exiſtere. Colicam ſaturninam metallicolarum ob affinia cum ileo ſymptomata eodem iure ad ileum referri debere, quo ad colicam aſſerit, ileumque morbum eſſe infantibus
p. 51. lactantibus adeo familiarem. Curatio, ſecundum naturam quidem morbi eiuſque cauſſas et ſymptomata vario modo inſtituenda, ſequentibus innititur indicationibus, vt inflammatio inteſtinorum caueatur, vel reſoluatur: aluus obſtructa aperiatur: vomitus compeſcatur et dolores leniantur. His ſingulis indicationibus indicata Auctor affert, adiectis cautelis neceſſariis, ex quibus tamen omnibus venaeſectionem reiteratam, clyſmata plura et copioſa et oleorum expreſſorum vſum praeſtantiora eſſe iudicat. Alii oleum e ſeminibus amygdalarum ob gratum ſaporem laudibus extollunt, cui alii lini oleum praeferunt. Cl. Auctor vires olei lini in ileo experiundus, adductis variis auctoribus, qui vſum eius in morbis diuerſis ſalutarem et congruum conſignarunt,

eo

eo ſequenti modo vſus eſt: ſumſit oleum recens, pu- p. 75.
rum et pellucidum, coloris parum flaueſcentis, ſapo-
ris nec acris, nec nauſeoſi, qualis in vetuſto eſſe ſo-
let. Huius olei vtplurimum vncias quatuor, aut
ſex aegro propinauit et vt omni hora aut bihorio
cochlear vnum cum calido potu, maxime cum cere-
viſia calida ſumeret, praecepit. Semel ei guttas
aliquot olei aniſi ob gratiorem ſaporem excitandum
addidit, ceterum ſimplex illud adhibuit, remedia alia
interna interea intermiſit, neque anodyno ad vomi-
tum ſedandum vſus eſt, ſiquidem, cochlearibus ali-
quot aſſumtis, vomitus ſponte ceſſarunt, vnde ano-
dyna vis remedii huius conſtat. Vſui olei lini inter-
no adiunxit clyſmata prius emollientia, quibus poſt-
modum ſalis vncia dimidia ob ſtimulum addi, eaque
iterum iterumque applicari iuſſit. Alui ſecretione
ſuccedente, oleum aegro quotidie ad duo vel tria
cochlearia tantum ſumendum praecepit. Saepius
ad tertium cochleare ſumtum, ſymptomata grauiora
ceſſaſſe et rarius ad reſtitutionem ſanitatis plus, quam
ſex vel octo vncias olei neceſſarias fuiſſe, refert.
Morbo ſuperato, diaetam accuratam et tenuem aegris
ordinauit, ad digeſtionem perficiendam elixir viſce-
rale HOFFMANNI, vel ad alui excretionem reſtituen-
dam eſſentiam rhabarbari cum liquore terrae foliatae
tartari paratam per aliquod tempus adhibuit.

Sequuntur tandem nouem caſus aegrorum ileo p. 77.
morbo laborantium, in quibus de vſu olei lini ſalu-
tari in hoc morbo certior redditus, illud etiam variis
huius morbi cauſſis reſiſtere et mederi poſſe affir-
mat. Nos, quum ſingulas obſeruationes, huc tra-
dere ſuperfluum exiſtimemus, id monemus, octo
aegrotos ſanitati reſtitutos eſſe, nonum vero, cui
decimo morbi die et ita nimis ſero remedium lauda-
tum exhibitum eſt, ob gangraenam forſitan iam ſub-
ortam et confirmatam mortuum eſſe. Adductis aliis

obſerua-

obſeruationibus, de vſu huius olei in haemoptyſi ſalutari, quaeſtio mouetur, anne pari ratione paque commodo in dyſenteria, haemoptyſi aliisque haemorrhagiis eodem vti poſſimus? Quae vero re vlteriori medicorum experientiae diſquirenda commendatur.

XII.

D. AUGUST FRIEDRICH PALLAS *Chirurgie oder Abhandlung von äuſſerlichen Krankheiten, worinnen vornehmlich auch die neuern Erfindungen in dieſer Wiſſenſchaft, kurz vorgetragen werden. Nebſt einem vollſtändigen Verzeichniß der chirurgiſchen Werkzeuge; wie auch einer Abbildung einiger noch nicht ſehr bekannten Inſtrumente. Zum Gebrauch ſeiner Zuhörer. Berlin bey C. F. Voß* 1764. 8. 1. *Alph.* 1. *Bogen. nebſt* 8 *Kupfertafeln.*

i. e.

AUGUSTINI FRIDERICI PALLAS, Med. D. chirurgia ſeu tractatus de morbis externis, in quo recentiorum inprimis inuenta in hac arte proponuntur. Cum indice pleniſſimo inſtrumentorum chirurgicorum et delineatione variorum inſtrumentorum haud vulgarium. In vſum auditorum.

Cl. PALLAS filius, elegantis diſſertationis *de variis calculos ſecandi methodis* auctor, nunc omnem doctrinam de arte medendi morbis externis, breuiter quidem, ſed tam accurate et perſpicue proponit, vt hic liber omnino vſui eorum, qui chirurgiae alumnos inſtituunt, ſatis accommodatus ſit. Ipſe Cl. Auctor, ad

ad eius ductum, antequam edebatur, per decem annos lectiones chirurgicas habuit, nunc vero, vt lectio eiusdem in arte prouectioribus tanto esset vtilior, plurima eorum, quae recentioribus temporibus in hac arte inuenta sunt, addidit, variasque passim obseruationes et annotationes adiecit. Diuisus vero est hic liber in duas partes, quarum prior de morbis chirurgicis vniuersalibus, v. c. tumoribus, abscessu, vulneribus, fracturis, luxationibus agit, vbi simul operationes chirurgicae, quae in variis corporis partibus institui solent v. c. amputatio, exstirpatio carcinomatis cet. describuntur. In posteriore autem morbi chirurgici singularum partium, operationesque in iis necessariae exponuntur. Ex quibus omnibus speciminis loco sequentia adduxisse sufficiat.

Inflammationes in febribus acutis malignis, ex metastasi ortae, si vesicatoria partibus, a loco affecto remotis, adplicantur, nonnunquam resoluuntur, nec in abscessum transeunt; quo tamen in casu vlcera artificialia, vesicatoriorum ope excitata, adsperso cantharidum puluere, per aliquot septimanas aperta seruanda sunt. Vix tamen putamus, vesicatoriorum ad suppurationem auertendam vsum satis idoneum esse, nisi forte materia morbifica nobile aliquod viscus occupauerit. p. 11.

Inter omnia caustica, quibus abscessus aperiri possunt, *causticum* quod *sutorianum* vocant, reliquis praeferendum est, cum illud, licet magna corrodendi vi praeditum sit, paruum tamen dolorem excitet. Paratur vero illud ex lixiuio cinerum vulgarium et ligni iuniperini, quibus opium additur. p. 15.

Clarissimus ACRELL, qui parotides post febres malignas ortas non incidit, sed expectat, donec apertura eorum sponte fiat, a Nostro potissimum ex obseruationibus, a chirurgis Gallis in peste Massilienſi institutis, refellitur. Illi enim illas parotides optime et celerrime sanatas esse obseruarunt, in qui- p. 27.

bus, magno vulnere inciſis, larga ſuppuratio excitata fuerat ope emollientium, quibus cauſtica, quae tamen minime conueniunt, addita erant. Londinenſis p. 31. quidam chirurgus Cl. MONROO bubones venereos ſtatim, antequam ſuppuratio oriebatur, exſtirpauit, quod conſilium Cl. PALLAS, ſi modo ſub ipſa operatione cautio habeatur, ne vicina vaſa maiora laedantur, minime improbat. Minores enim aeger dolores experitur, ſi glandula parua adhuc exſtirpatur et ab vlteriore infectione magis tutus praeſtatur. In amputationis hiſtoria nouum aliquod torcular, p. 58. a Cl. FREEKE inuentum, deſcribitur et delineatur*), quam machinam Cl. PALLAS reliquis omnibus p. 62. aptiorem eſſe iudicat. Aliquot horas ante operationem aegro opiatum praebere, concedit. Poſt amputationem inprimis in noſocomiis maioribus, in quibus maior vulneratorum numerus nimis magnam moleſtiam chirurgo creare ſolet, ita, vt tempus ad deligationem amputatorum facile illum deficiat, Cl. Auctor conſilium dat hoc, vt lintea carpta ſolutione mercurii ſublimati in aqua ſimplici imbuantur, quoniam illud inde commodum ſit prodituru, vt deligatio tantum poſt tertium quemque diem repetenda ſit, ſi modo ſuppuratio iam bene inceperit. In femoris amputatione inciſionem non, vt plurimi faciunt, tres vel quatuor pollices ſupra genu, ſed paullo p. 71. altius inſtituere iubet. Femoris amputationem ex articulo in viuis impoſſibilem eſſe iudicat, neque amputationi manus in articulo carpi, qua Galli non- p. 99. nunquam vtuntur, fauet. Si carioſum vlcus inter lamellas oſſis cylindracei exoritur, nonnunquam internae lamellae omnes ita inter ſe adhuc cohaerentes ſeparantur, vt integrum cylindrum, intra maiorem oſſis ipſius contentum, efforment, qualem tibiam p. 112. Cl. Auctor poſſidet. In gangliorum curatione inciſionem

*) Tab. I. fig. 2.

ſionem plane reiicit, notatque in eiuſmodi tumoribus electricitatem vim ſuam medicam nonnunquam exſerere. Inſtrumentum, quod in hydrope ſacci lacrymalis, eum comprimendo inſeruit, a PLATNERO olim deſcriptum *), emendatum hic delineatur **), in quo globulus mediante cochlea apprimitur. Me- p. 141.
thodum Cl. FOREST, qua ille in fiſtula lacrymali, per orificium ſacci lacrymalis naſale, iniectionem medicamentorum ſuſcepit, in eo tantum caſu vtilem eſſe oſtendit, in quo vitium in ipſo ſacco lacrymali haeret. Difficillime vero vel plane non hoc ſuccedere, inprimis ſi canalis naſalis obſtructus ſit, fiſtulaeque immiſſionem varia grauiora ſymptomata producere poſſe, aſſerit. Depreſſioni quoque lentis in p. 156.
cataractae curatione magis fauet, quam extractioni, quam multis incommodis ſtipatam eſſe fuſius oſtendit. Compreſſionem ſtaphylomatis, quam varii, imprimis p. 163.
ſub initio morbi, laudant, Noſter reiicit, cum inflammatio inde excitetur. In hydroceles curatione radi- p. 217.
cali, quo febris et inflammationis vehementia minuatur, inprimis in debilioribus primo die inciſionem tantum vnum pollicem longam facit, ſique vulnus poſt quatuor vel quinque dies conſolidari inceperit, iterum inciſionem pollice vno paullo longiorem facit, illamque poſt aliquot dies producere pergit, donec ſenſim eo modo ad finem tumoris accedat. In teſticulo, hydrocele vaginali affecto, calcu- p. 229.
lum lentis magnitudine, et in alio aegro ſexaginta et tres calculos intra praeputium et glandem inuenit. Calculum quoque ex veſica militis exemit, quae ante decem annos globulo tormenti minoris traiecta fuerat. Magnitudinem oui gallinacei ille habebat, eoque ſerra diuiſo, fragmentum oſſis, intus nuclei inſtar haerens, extrahebatur. Deſcribuntur porro hic in p. 247.

*) Vid. *Diſſert. de fiſt. lacrymali* fig. 3.
**) Tab. II. fig. 4.

tractatione de calculi curatione varii ductores canaliculati, acie inſtructi, nondum inter Noſtros ſatis cogniti v. c. Cl. HAWKINS (a Noſtro olim in diſſertatione ſuperius laudata p. 32 indicatus) BROMFIELD, GRINDAL et YONGE, forcepsque, ſcalpello recondito inſtructa, cuius Auctor eſt Cl. COWLEY, aliaque, cui etiam ſcalpellum ad vulneris dilatationem adaptari poteſt a Cl. DE TRY propoſita.

p. 262. Fiſtulam ani ſponte ſanatam Auctor Cl. vidit, ſola compreſſione vteri grauidi, ſine vllo chirurgi auxilio, atque in vniuerſum, dum fiſtulae huius curationem explicat, variorum artificiorum, quae noua eſſe videntur, mentionem facit.

p. 321. Adiectus eſt huic libro catalogus inſtrumentorum chirurgicorum, quae Berolini a I. H. TILLY iuniore fabricantur, qui eo maxime ſe nobis probavit, quod vidimus ad quodlibet inſtrumentum indicari librum, vnde deſumtum eſt. Tabulae aeneae, huic libro adiectae, non magna arte confectae ſunt, quae tamen in eiuſmodi inſtrumentorum delineatione non negligenda eſt Inter illa ſunt machina tortilis FREEKII, compreſſorium ſacci lacrymalis, varii ductores canaliculati noui, ſpeculum vteri LEURETI tribus brachiis inſtructum, peſſarium aliquod nouum, tandemque clauus (*tirefond*) in trepanatione adhibendus, qui ſine clauis ope firmari educique poteſt.

XIII.

Diſſertatio inauguralis medica de plethorae differentiis, praeſide CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIG. Reſp. *Iacobo Mumſſen* habita, Lipſ. 1766. 4. pl. 4½.

Quam varia ſit morborum indoles, nullo melius, quam plethorae exemplo diſcitur, cuius diſcrimina, miſſis tamen iis, quae ad cauſſas, ſymptomata et ſigna pertinent, Cl. LUDWIGIUS hoc libello exponere inſtituit. Ac primum quidem perpendit vniuerſam humorum elaborationem, quae, vbi vaſis rubris robori ipſorum conuenientem ſanguinis moderate denſi, viisque lymphaticis ſeri et lymphae ſolida non nimis diſtendentem copiam elargitur, bonum corporis habitum et euchymiam inducit. Haec ipſa tamen euchymia et humorum copia pro aetatum et temperamentorum diuerſitate varie differre, et, laeſa humorum ad ſolida proportione, in hominibus ſanguineis, obeſis et imbecillibus plethoram producere, oſtenditur. Quo facto plethora definitur per eam humorum in vniuerſo corpore abundantiam, quae ſyſtema vaſorum nimium diſtendit. Additur deinde antiqua plethorae diuiſio in eam ad vaſa, inque eam ad vires; omniumque pathologorum ſtudia laudantur, quae in illa emendanda poſuerunt operam, non praetermiſſis, quae GAUBIUS hac in re praeſtitit. Quum vero in omni plethora vaſa afficiantur, quumque non niſi in vaſis, humores mouentibus et mutantibus, virium natura poſita ſit, conſueta haec plethorae diſtinctio minus probari poſſe declaratur. Quapropter alia et noua prorſus ratione plethoram diſtinxit Cl. Auctor. Fluida ſcilicet ratione ſolidorum vel vere abundant; et *veram* ſeu *abſolutam* plethoram,

ram, et in vaſis rubris quidem *ſanguineam*, in viis lymphaticis vero *obeſam*, inducunt, vel etſi non abundant, vitio tamen vel ſuo vel ſolidorum verae plethorae ſymptomata proferunt et plethoram *ſpuriam* ſiue *apparentem* ſiſtunt. Et vti laxa et debilia ſolida, vel in vniuerſo corpore, vel in quodam tantum viſcere ſanguinis abundantiam *ſpuriam*, vel *vniverſalem*, vel *particularem* faciunt, ita rigida quoque et ſtricta corpora ſenum et ſpaſmo laborantium plethorae *ſenilis* et *ſpaſticae* diſcernendae opportunitatem dedit. Non minus plethoram mentiuntur fluida, inaequali ratione euoluta, quando in orgaſmo humorum, a cauſſis externis internisue excitato, turgent, atque ſic plethoram *incaleſcentem* et *febrilem*, inque mala humorum mixtione, ſeu chronico malo, *cacochymicam* excitant. Tandem cunctae hae plethorae ſpecies paullo plenius et ſigillatim adumbrantur et in quibusnam maxime morbis quaelibet ſe exſerat, indicatur.

XIV.

Diſſertatio inauguralis medica de venaeſectione differentiis plethorae accommodanda praeſide CHRISTIANO GOTTLIEB LUDWIG. Reſp. *Io. Gottfried Iokuſch* habita, Lipſ. 1767. 4. pl. 4½.

Iungimus ob doctrinae nexum priori libello hunc, quo Cl. LUDWIG venaeſectionis adminiſtrationem pro varia plethora vel ſuſcipiendam vel intermittendam eſſe, praecepit. Laudata nimirum prius venaeſectionis diuiſione in prophylacticam et curatoriam, quarum illa, cum diaeta apta coniungenda, cauſſis reſiſtens, venturum morbum praeuertit, haec, diaeta pariter atque medicamentis adiuta, praeſentis morbi

morbi vehementiam frangit, vbi vtraque et quando vel obtineat, vel abeſſe debeat, definit. Et in plethora quidem vera ſanguinea vrgente, cui tollendae ſolius vitae generis mutatio impar eſt, prophylacticam ſuadet, neque tamen iuſto crebrius et praeter neceſſitatem repetendam, cum alias noxiae in morbis debilitati via pandatur. Eadem in obeſis, quos tamen tardius et parum diu iuvat, quum cellularem reſorptionem expediat, conuenire docetur, modo ne limites excedat et optimis humoribus exhauſta corpora, permanente laxitate, in cacochymiam praecipitet. Imbecillium vaſa debilitata, ſanguine tenui turgente diſtenta, per curatoriam ſanguinis miſſionem, diaeta et medicamentis roborantibus adiutam, ideo liberanda eſſe praecipiuntur, quo, recuperato aliquo robore, cruorem iam denſiorem parare queant. In plethora partiali, cuius vel a laxitate, vel a rigiditate partium pendentis nobiliſſima exempla enarrantur, ita verſatur Cl. Auctor vt in plethora vteri curatoriam roborantibus iungat, inque grauidis menſtruatis et fetum minus quietum geſtantibus prophylacticam commendet. Hanc ipſam quoque decubitus ſanguinis ad pulmones, difficile aſthma inducentes, exigere oſtendit, inque haemopticis etiam largiorem cumque apparente aegri detrimento inſtitutam perutilem eſſe exemplo virginis ita ab ipſo ſervatae confirmat. In tuſſi catarrhali pertinaciori, a ſiccitate et rigiditate oriunda prophylacticam haud raro, non aeque curatoriam expoſci monet. In plethora ſenili, congeſtiones ſanguinis ad caput producente, apoplexiam venaeſectione praeuertere iubet; in ſenibus vero haemorrhoidariis, quibus fluxus iſte ceſſat, blande reſoluentia venaeſectioni, dyſcraſiam humorum inducturae, praefert. Quod ſi tamen motus ſanguinis vagi et nimii fiant, curatoria venaeſectione ſanguinei circuli libertas aliqua reſtituenda

videtur. In plethora ſpaſtica venaeſectionem ſpaſmum lenire et inflammationem extimeſcendam praecauere euincit. Incaleſcenti plethorae, victu potuque exaeſtuante inductae, venaeſectione mederi reprobat, narratque exemplum viri, qui ex abuſu eiusdem in ebrietate diſcutienda hydropicus tandem periit. Neque in omnis febrilis plethorae motibus compeſcendis venaeſectionem, adeo a multis commendatam, laudat. Sic in febribus intermittentibus eam admittendam non eſſe confirmat, quum materia febrilis non mutata multos et grauiſſimos morbos chronicos inducat. In febribus continuis, ſi quidem ſymptomata tempore cruditatis vrgeant et coctio difficilis praeuideatur, in plethoricis ſanguineis venaeſectionem, coctionis expediendae cauſſa, adhibendam eſſe docet. Si vero circuli ſanguinei libertas nulla reſiſtentia partiali impeditur et bonam coctionem praedicit, ſuperfluum eſt, ſanguinem detrahere. Noxium denique foret, inſtante criſi, venam ſecare, et perturbationibus criticis aditum pateſacere. In febribus exanthematicis corpus vere plethoricum ad ſuſtinendam euolutionem diſponere probat, in ipſa tamen eruptione exanthematum, nonniſi perſpiratione male procedente pulſuque iuſto fortiori et ad duritiem accedente, venaeſectionem concedit. In inflammatione quacunque, inprimis vero illa, quae ex vulnere magno et colliſo oritur, prophylactica pariter atque curatoria, atque adeo, ſi opus eſt, repetita placet, dummodo motus reſolutorii, vel per ſe vel per ſuppurationem vtiles non ſupprimantur. In febribus vero putridis inque lentis tantum abeſſe oſtenditur, vt ab hoc auxilio boni quid expectandum ſit, vt potius aegri illo magis debilitentur et praecipitentur. Denique in plethora cacochymica venaeſectio plane diſſuadetur.

XV.

XV.

The medical Works of RICHARD MEAD, M. D. Phyſician to his late Majeſty King George II. Fellow of the royal College of phyſicians of London and Edinburgh and of the royal Society. London printed for C. Hitch and L. Hawes, A. Millar cet. 4 mai. 1762. 4. alph. tab. aen. 5.

i. e.

Opera medica RICHARDI MEAD, M. D.

Quo magis conueniunt artis medicae periti in iudicio de praeſtantiſſimis MEADII, celeberrimi quondam inter Anglos medici, ſcriptis; eo dignior nobis viſa eſt opera, quae in colligendis iiſdem denuoque ſplendidiſſime edendis in patria EIUSDEM poſt eius obitum collocata eſt.

Praefixa eſt vero huic collectioni ſcriptorum Cel. MEADII, quae etiam ornata eſt imagine eiuſdem eleganter deſcripta, elogium eius, quod in omnibus fere cum illo conuenit, quod ex Cl. MATY diario Britannico alio tempore lectoribus exhibuimus *). Iuuabit tamen commemoraſſe, quod erectum ſit in honorem eius monumentum in templo cathedrali Weſtmonaſterienſi, qui locus inprimis dicatus eſt ſummorum virorum memoriae, cum inſcriptione eleganti, a Cl. WARDEN latina lingua conſcripta.

Inter ipſa ſcripta Cel. MEADII primum eſt tractatus eius de venenis (*mechanical account of poiſons*) ſecundum editionem an. 1747 publicatam, ad quem quatuor tabulae aeneae pertinent. p. 1.

Sequitur diſſertatio de imperio ſolis ac lunae in corpora humana et morbis inde oriundis (*of the influence* p. 157.

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 171 ſeq.

fluence of the ſun and the moon upon the human bodies and the diſeaſes thereby produced.)

p. 213. Hunc excipit libellus de peſte (*on the plague*)
p. 299. aliusque de variolis et morbillis (*on the ſmall-pox*
p. 353. *and meaſles*), cui RHAZES de variolis et morbillis commentarius, quem Cel. MEADIUS olim cum diſſertatione hac edidit, annexus eſt.

p. 393. Inuenimus porro hic recuſam SUTTONII relationem de methodo aërem corruptum ex nauibus extrahendi (*method for extracting the foul air out of ſhips*), quam olim MEADIUS, qui in vniuerſum vtiliſſimum hoc inuentum omni ſtudio, vt alibi retulimus *) promouit, cum Societate regia communicauit. Pertinet ad illud tabula aenea vltima horum operum.

p. 437. Libellus de ſcorbuto (*on the ſcurvy*), egregium opus, quod Cel. Auctor monita et praecepta medica
p. 451. vocauit (*medical precepts and cautions*), tandemque
p. 579. *medica ſacra*, finem maiorum ſcriptorum, in hac collectione contentorum, faciunt.

p. 641. Sequitur *oratio anniuerſaria Harueiana*, latina lingua conſcripta. Deſideratur vero in editione hac *diſſertatio de nummis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percuſſis*, quae cum hac oratione Londini anno huius ſeculi viceſimo quarto prodiit.

p. 651. *Epiſtola* MEADII *ad* IOANNEM FREINDIUM latine ſcripta, quam FREINDIUS *commentario* ſuo *in librum* I et III *epidemicorum* HIPPOCRATIS inſeruit **) et quae a nobis in indice operum MEADII ***) omiſſa eſt. Exponit in ea Noſter rationem, quam in curandis variolis tenebat, atque inprimis purgantium, in febre ſuppuratoria minuenda vel auertenda, vſum confirmat.

Excer-

*) L. c. p. 175 nota **).
**) Vid. I. FREIND *Oper. med.* Edit. Pariſ. l. c. p. 44.
***) Vid. Comment. noſtr. Vol. IV. l. c.

Excerptum epiſtolae Cl. BONOMO ad REDI *de vermibus corporis humani*, quod MEADIUS olim Societati regiae, in Anglicam linguam translatum, obtulit (*). p. 655.

Finem facit *relatio de tribus hydrophobis* (*an account of three caſes of the hydrophobia*), quae etiam in indice noſtro ſcriptorum Meadianorum ſaepius commemorato deficit. Reperimus vero nunc, illam in volumine viceſimo ſexto *tranſactionum philoſophicarum* p. 433 ſeq. primum editam eſſe. p. 658.

Non inuenitur autem in hac collectione ſchedula, qua lichenis cinerei vſum in hydrophobia MEADIUS anno 1735 commendaſſe dicitur et quae nunquam, vti alibi commemorauimus **) in manus noſtras peruenit. Inſerta tamen eſt tota haec commendatio editioni tractatus *de venenis*, quae an. 1747 prodiit, ideoque etiam his operibus inſerta eſt (***). Deſideratur quoque opus, quod, vti ex Cl. MATY elogio adduximus (****) MEADIUS latina lingua conſcribere incepit, in qua *medicinam veterem collectitiam ex auctoribus non medicis* exhibere voluit, quod vero imperfectum reliquit.

XVI.

De argilla ſpecimen. Praeſide IACOBO REINBOLDO SPIELMANN. Reſp. *Ioannes Daniel Metzger*, Argentinenſi. Argentorati 1765. typis I. H. Heitzii. 4. pl. 6.

Tria genera ampliſſimi ordinis terrarum argillacearum tantum hac diſſertatione exhibentur, reliquis

*) Vid. Comment. noſtr. l. c. p. 173.
**) Vid. Comment. noſtr. Vol. IV. l. ſaepius citato.
***) Vid. p. 89. ſeq.
****) Vid. Comment. noſtr. l. c.

quis omnibus, quae de argilla eiuſque partibus conſtitutiuis moneri poſſunt, in aliud tempus reſer-

p. 1. vatis. *Terras* Cl. Auctor vocat corpora mineralia, quae, aquae iniectae ſoluuntur et lutum fiunt, atque putat, in vniuerſum terras, ſtricte ſic dictas, ex ſabulo, cui aliquid aquae accreuerit, ſurrexiſſe, eorumque duo genera ſumma aſſumi poſſe; terrarum ſcilicet, quae acidis reſiſtunt et ſolae, calore, qualem noſtrae fornaces ſubminiſtrant, nunquam in ſubſtantias duras obeunt, quas *vitreſcentes* dicit, atque terrarum, quae eo, quem diximus, calore, gradu duritiei vario, indurantur, quas *calcarearum* nomine inſignit. Harum aliae cum acidis efferueſcunt, aliae iis reſiſtunt, quarum priores *abſorbentes*, poſteriores *gypſa* vocat. His praemiſſis, definitiones ordinum ſeu generum

p. 4. ſummorum terrarum proponuntur. Ita enim *argilla* Auctori Cl. eſt terra, quae cum aqua in paſtam ductilem abit et, ſi cum igne induratur, cohaerens manet. *Marga* cum aqua paſtam ductilem format, in aëre dilabitur, igne quidem induratur, ſed friabilis eſt et in ſquamas diſſilit. *Tripela* eſt marga ſabuli expers, aſpera. *Ochra*, argilla vel marga laxa, luteo vel rubro colore inſignita. *Bolus* cum aqua difficilius in paſtam redigitur, igne fornacum per ſe in vitrum pellucens fundi nequit. *Ollaris* eſt bolus, qui torno poteſt figurari. *Aſbeſtus* bolus in fibras longitudinales ordinatus. *Schiſtus* bolus ex lamiſis latis exſtructus. *Limus* tandem cum aqua difficilius in paſtam abit, calore induratur quidem, ſed efformat ſubſtantiam friabilem et igne maiore in vitrum confluit.

p. 5. Praemiſſis his, tria *argillae* genera proponuntur. Eorum primum eſt *argilla igne in ſubſtantiam albam, ſemipellucidam abiens: porcellana* ſ. *argilla Sinenſis* auctorum. Alterum *argilla igne in ſubſtantiam albam abiens: argilla fiſtularis, argilla apyra* auctorum.

Huius

Huius ſpecies ſecundum characteres externos, varios cohaeſionis gradus, ſplendorem ſuperficiei, ſabuli admixti praeſentiam et colores diuidit. Tertium tandem genus eſt *argilla*, quae *igne coloratur*, cuius ſpecies ſecundum colorem, quem in igne adquirunt, diſpoſitae ſunt. Additae ſunt *margae* ſpecies ſecundum eandem methodum digeſtae, tandemque *tripelae*. In omnibus vero argillis, margis et tripelis ſynonyma auctorum veterum et recentiorum, multo ſtudio collectae, adduntur, vſusque oeconomici annotantur, ita, vt omnino hiſtoria omnium terrarum, quae ſimili ratione conſcripta, forte ab Auctore Cl. expectari poteſt, inſignem vtilitatem habitura ſit.

p. 14. p. 32. p. 40.

XVII.

L'art d'accoucher réduit à ſes principes où l'on expoſe les pratiques les plus ſûres et les plus uſitées dans les différentes eſpeces d'accouchemens. Avec l'hiſtoire ſommaire de l'art d'accoucher; et une lettre ſur la conduite qu'Adam et Eve dûrent tenir, à la naiſſance de leurs premiers enfans. Par I. ASTRUC, Profeſſeur royal de médecine et médecin conſultant du Roi. A Paris chez P. G. Cavelier 1766. 12. pl. 21.

i. e.

Ars obſtetricia ad elementa ſua redacta, in qua methodi diuerſae opem parturientibus ferendi in variis ſpeciebus partus tutiſſimae et vſitatiſſimae exponuntur. Cum hiſtoria breui artis obſtetriciae et epiſtola de ratione, qua

vſi

vſi ſint Adamus et Eua, cum primi eorum infantes naſcerentur. Auctore I. ASTRUC.

Cum Cel. Auctori anno huius ſeculi quadrageſimo ſeptimo a Facultate medica Pariſienſi mandatum eſſet munus, obſtetricibus fundamenta artis obſtetriciae publice explicandi; congeſſit in hunc vſum, quamquam ipſe eam artem nunquam exercuerat, ex ſola optimorum in hoc genere ſcriptorum lectione compendium aliquod, interſertis quibuſdam de ſuo additamentis. Edendi vero huius compendii duas ſe maxime dicit habere cauſſas, quarum prima ineſt in defectu eiuſmodi libelli, gallica lingua conſcripti, in vſum mulierum obſtetricantium, quae in locis a maioribus vrbibus remotioribus viuunt, atque adeo carentium occaſione ſe rectius inſtruendi. Alteram autem cauſſam in eo ponit, quod maius ipſius opus de morbis mulierum ſine eiuſmodi compendio artis obſtetriciae haud perfectum videri poſſet. In conficiendo igitur eo libello, hoc maxime propoſitum ſibi habuit Cl. Auctor, vt breuiter omnia, ſtricto ordine et perſpicue traderet, quod, quantum nos videmus, ſatis feliciter aſſecutus eſt.

Praef. p. 27. Praemiſſa eſt artis obſtetriciae hiſtoria, in qua Cl. Auctor primum oſtendit, ab omni aeuo mulieres inprimis parturientibus opem tuliſſe: deinde initia et incrementa artis obſtetriciae enarrat, tandemque auctores praecipuos, qui de ea ſcripſerunt, recenſet, ex quibus tamen nominat tantum MOSCHIONEM, TROTULAM, EUCHARIUM, RÜEFTIUM, PARAEUM et LOUISAM BOURGEOIS, quae primum in haemorrhagia vteri, nulla ratione compeſcenda, foetus extractionem commendauit, recentiores vero omittit, ex quorum tamen lectione longe maior fructus capi poſſe videtur. In vniuerſum autem et, vti nos quidem arbitramur, ſummo cum iure, perſuaſum

perſuaſum ſibi habet, artem obſtetriciam noſtris temporibus parum abeſſe ab eo perfectionis gradu, ad quem poterat accedere.

Tractatio ipſa in quinque libros diuiſa eſt, in quorum primo diſputat, de iis, quorum cognitio in hac arte facienda, fundamenti loco eſt. Agit itaque in eo de pelui, vtero, foetu eiuſque ſitu, exploratione grauidarum et parturientium cet. tandemque quae in omni partu obſeruanda ſunt, explicat. p. 1.

Secundo libro de partu naturali, in quo foetus recte ſitus eſt, in vniuerſum diſſerit, cuius alteram ſpeciem agripparum partum facit, artificiaque in eo adhibenda exponit. Comparationem deinde inter illum et partum naturalem capite praeuio inſtituit, oſtenditque partum, qui pedibus praeuiis fit, plura habere commoda, quibus naturalis caret. Senſim enim in illo orificium vteri per pedes foetus, qui cunei in modum agunt, dilatari, non vno impetu, vt in partu, in quo caput primum procedit, fieri autumat: obliquitatem deinde vteri et peruerſum ſitum foetus nullam fere difficultatem in eo parere: denique obſtetricantem in hoc caſu, trahendo foetum, parturienti opitulari, quod in naturali partu, qui ſolis matris viribus abſolui debet, minime fieri poſſit. Quapropter agripparum partum minus dolorificum, breuiorem, faciliorem, nec minus liberum a periculo eſſe iudicat quam ea ſpecies eſt, quae fit capite praeuio. Difficultas enim, quae ex capite in agripparum partu retento nonnunquam oritur, obſtetricantis tantum errore vel in foetu mortuo accidit. Nimiam tamen Cel. ASTRUC huius partus ſpeciei laudem tribuere, nec partum, qui fere nunquam ſine artis auxilio abſoluitur, naturalem dici poſſe, facile omnes, qui artem obſtetriciam ipſi exercuerunt, conſentientes nos habituros eſſe putamus. In fine huius libri de puerperarum p. 63. p. 79. p. 111.

perarum regimine differit, eaque inprimis, quae circa febrem lacteam et foetum neonatum obſeruanda ſunt, fuſius explicat.

p. 126. Tertio libro de partu praeternaturali (*contra nature*) agitur, cuius duas ſpecies facit, vnam, in qua foetus naturalem quidem ſitum obtinet i. e. capite vel pedibus praeuiis procedit, ſed reliqui corporis ſitus obſtaculum facit: alteram, in qua foetus in vniuerſum peruerſe ſitus eſt.

p. 167. Quarto libro Cel. Auctor de partu laborioſo et difficili, foetu, naturalem ſitum vel peruerſum obtinente, agit, docetque, difficultatem in hac partus ſpecie vel vitio matris oriri, v. c. ex ſitu obliquo vteri, inertia eius, orificii vterini calloſitate, vaginae coalitu, auguſtia peluis, in qua LEURETI forcipem commendat, cet.: vel foetus culpa, qui caput nimis magnum habet, vel hydropicus eſt aut monſtroſus cet.: vel tandem ex placenta, membranis, foe-

p. 207. tum inuoluentibus, et funiculo vmbilicali. Circa haemorrhagiam, quae a placenta oblata ſeu praeuia oritur, in ea adhuc eſt ſententia, eam non orificio accreſcere, ſed ſolutam ad orificium demum delabi. Vltimo huius libri capite de partu laborioſo et difficili ex cauſſis mere accidentalibus (*purements accidentelles*) diſputatur: de abortu ſcilicet, de partu diffi-

p. 243. cili ex foetus morte et mola. Foetum mortuum ſemper arte i. e. verſionis ope extrahendum, atque in vniuerſum hanc partus ſpeciem difficilem eſſe putat. Credit enim vterum, qui a foetus motu non ad actionem ſtimulatur, lentius et debilius ſe circa foetum mortuum, quam circa viuum contrahere: foetum porro viuum, cum caput valentius orificio vterino apprimat, illius dilatationem inſigniter promouere: foetus mortui corpus contra molle ab vtero in globum rotundum comprimi: tandemque vterum, qui foetum mortuum continet, ſemper ali-

que

quo inflammationis gradu affici, qui contractionem eius impediat. In capite foetus, a trunco ſeparato et in vtero retento, Cl. GREGOIRE inſtrumento aliquo vſus eſt, quod in foramen magnum oſſis occipitis introduxit et quod, vt ex deſcriptione, hic a Cl. ASTRUC communicata, patet, forte inuentioni capititrahae LEVRETI, quam a lamina verſatili, qua in fine inſtruitur, *tire-tête à baſcule* vocat, anſam dedit. p. 252.

Quinto tandem libro de variis infortuniis, quae nonnunquam accidere poſſunt, Auctor Cl. exponens, de deſcenſu et inuerſione vteri, de conuulſionibus, ruptura vteri et dilaceratione perinaei, tandemque de operatione caeſarea et de hac fuſius quidem, diſſerit. Oſtendit deinde, quae ab obſtetricante in partu clandeſtino; in abortu, quem foemina medicamentis ipſa promouit et circa baptiſma foetus obſervanda ſunt, additque reſponſum facultatis theologicae Pariſienſis, in quo foetus in vtero adhuc contentos, aqua ſiphonis ope iniecta baptizandos eſſe, pronuntiatur. Ad calcem huius operis adiecta eſt epiſtola de ratione, qua vſi ſint primi homines, cum primi eorum infantes naſcerentur, de qua re nil niſi coniecturas proferri poſſe, vnusquisque perſpiciet. p. 269. p. 342.

XVIII.

Noua phyſico-medica.

Cum *Imperialem Academiam naturae curioſorum* vno propemodum eodemque tempore b. BÜCHNERUM et TREW *), Academiae praeſidium habentes, amiſiſſe conſtet, praeſidem Eiuſdem aeque ac directorem, nec non Adiunctos, quibus iam Ea conſtitit, iam indicare volumus.

Praeſes.

*) Comment. noſtr. Vol. hoc p. 364.

Praeſes.

FERDINANDUS IACOBUS BAIER, Medicinae Doctor, Collegii Norimbergenſis medici Decanus et Phyſicus ſenatus primarius *).

Director.

CHRISTIANUS ANDREAS COTHENIUS, Potentiſſimi Regis Boruſſici Conſiliarius intimus et primarius archiater.

Adiuncti.

IOANNES BAPTISTA MORGAGNI, Medicinae Doctor et Profeſſor Patauinus.

GERHARD ANDREAS MÜLLER, Medicinae Doctor Francofurtenſis.

IOANNES SEBASTIANUS ALBRECHT, Medicinae Doctor et Profeſſor Coburgenſis.

RÜDIGER. FRIDERICUS OVELGÜNN, Medicinae Doctor Fritzlarienſis.

BALTHASAR LUDOVICUS TRALLES, Medicinae Doctor et Conſiliarius aulicus Gothaicus Vratislauiae.

GOTTLIEB HENRICUS KANNEGIESSER, Medicinae Doctor et Profeſſor Kilonienſis.

IOANNES PETRUS EBERHARD, Medicinae Doctor et Profeſſor Halenſis.

HENRICUS FRIDERICUS DELIUS, Medicinae Doctor et Profeſſor Erlangenſis.

Diſquiſitis ab Academia regia ſcientiarum *Burdigalenſi* die 25 maii 1769. elaborationibus quaeſtionis: *qui ſit optimus modus inſtituendi analyſin aquarum mineralium et an ſola analyſis ſufficiat, vt certo virtus earum et proprietates poſſint determinari* **) Academiae potiſſimum ea placuit, quae hoc HIPPOCRATIS inſcripta erat dicto: *neque vero negligentiorem ſe*

*) Comment. noſtr. Vol. hoc p. 551.
**) Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 534.

ſe circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere convenit, quemadmodum enim guſtu differunt et pondere et ſtatione, ſic quoque virtute aliae aliis longe praeſtant. Praemium itaque eius Auctori Cl. MARTEAU, medicinae Doctori Rhenenſi et Academiae Ambianenſis ſodali adiudicatum eſt.

Porro *Eadem*, cum Eius exſpectationi non ſatisfecerint elaborationes, anno 1767 iamiam exhibitum problema: *de argillae naturae et remediis eam fertilem reddendi* vſque ad annum 1773 diſtulit, vt eo certiora atque accuratiora hac de re capi poſſent experimenta, et illi, qui optime hanc in rem inquiret, duplicatum conſtituit praemium.

Nec minus repetit illam quaeſtionem: *numne dentur phyſica remedia lichenum et muſcorum, qui arbores infeſtant, delendorum et hoc malum ab arboribus arcendi et quae ſint* *) et quoniam nimis generaliter in miſſis commentariis haec res fuit tractata, ad annum 1771 denuo proponit.

Ac tandem eodem 1771 anno offert Academia ei praemium, qui *ſimpliciorem minusque ſumtuoſam, ac conſtat, methodum ſaccharum coctura optimum reddendi tum qualitate, cum quantitate* exhibet. Cui et quo modo diſputationes ſint mittendae, ſupra iamiam **) cum Lectoribus communicauimus.

Academia ſcientiarum bonarum literarum et artium, quae *Ambiani* floret et die 25 auguſti 1769 conueniebat, ad praemia anni 1770 conſequenda, quae ſunt duae monetae aureae trecentarum librarum Gallicarum, duo haec eruditis viris propoſuit problemata. Quorum vnum ſpectat *relationem morum ad ſanitatem, a quibus nimirum morbis maiorum ii nos liberarunt et quos nouos procrearunt.* (*L'influence*

*) Vid. Comment. noſtr. hoc Vol. p. 173.
**) Ibid.

des moeurs ſur la ſanté? de quelles maladies anciennes elles nous ont delivrés? quelles maladies nouvelles elles nous ont données.) Alterum exigit *deſcriptionem febris miliaris, eius ſymptomata, periodos, ſigna diagnoſtica et prognoſtica. Eſtne indoles huius morbi inflammatoria aut putrida? Eſtne eruptio criſis aut depuratio maſſae ſanguineae aut ſymptoma factitium? Quaenam eſt methodus ei medendi? Eſtne attendenda, praeparanda fouendaque eruptio, aut eſt ei praeueniendum et quanam ratione? Quosnam morbos ſequitur febris miliaris et quo modo praecaueri aut curari poſſint.* (*La deſcription de la fievre miliaire, ſes ſymptômes, ſes periodes, ſes ſignes diagnoſtics et prognoſtics? Son levain morbifique eſt-il inflammatoire ou putride? L'eruption eſt elle une criſe, une depuration de la maſſe du sang, ou un ſymptôme factice? Quelle doit être la methode curative? doit-on attendre, preparer, favoriſer l'eruption, ou la prévenir et par quels moyens? Quelles ſont les maladies, indiſpoſitions, que la miliaire laiſſe après elle et quels ſont les moyens de le prevenir ou de les guerir.*

Petit autem Academia ab iis, quibus in hanc rem inquirere placebit, vt obſervationibus practicis, accurate factis, nitantur eorum elaborationes, quae alias ab Ea non attendantur. Commentarii autem Cl. BARON, qui Academiae ab epiſtolis eſt et Ambiani habitat, die 1 Iulii 1770, impenſis ſolutis, ſunt tradendi.

Academia ſcientiarum, artium et literarum elegantiorum *Diuionenſis*, ad praemium anni 1771 obtinendum hoc cum eruditis communicauit problema: *determinanda eſt actio acidorum in olea; porro mechaniſmus combinationis huius et indoles variorum compoſitorum ſaponaceorum, quae inde oriuntur* (*de determiner l'action des acides ſur les huiles, le mechaniſme,*

niſme de leur combinaiſſon et la nature des différens compoſés ſavonneux, qui en réſultent).

Rogat autem Academia eos, qui huius rei explicandae nauabunt operam, vt in tribus naturae regnis ſimpliciſſima producta, quae hac ſaponaceo-acida gaudent conditione, indicent, nouas compoſitiones tentent, earum proprietates generales et characteres ſpeciales explicent et eam modo, quae nititur obſeruatione et experientia, tradant theoriam.

Commentarii ad Cl. MARET, medicinae Doctorem et perpetuum Academiae Secretarium, qui habitat Diuioni, in platea St. Jean dicta, vſque ad primum aprilis diem incluſiue 1771, impenſis ſolutis, ſunt mittendi, ita, vt ſuperſcribant dictum quoddam commentario idque vna cum nomine in ſchedula obſignata addant. Praemium, quod exſpectare licet, a Mr. DU TERRAIL fundatum, eſt moneta aurea, cuius vni lateri impreſſum eſt nomen et inſignia b. BOUFFIER, Academiae fundatoris, alteri Academiae ſymbolum.

Ill. ALBERTUM V. HALLERUM inter ſodales collegii medici *Edimburgenſis* receptum eſſe relatum legimus.

IOACHIM FRIDERICUS HENCKEL, collegii medici *Berolinenſis* ordinariam Chirurgiae accepit profeſſionem et die 12 nouembris 1769 hoc munus adiit.

In Academia *Erlangenſi* munus profeſſoris extraordinarii medicinae datum eſt IOANNI PHILIPPO IULIO RUDOLPHO, medicinae Doctori, qui ad illud adeundum programma *de tumore cancroſo ſingulari, amputatione feliciter ſanato* concinnauit et orationem *de miſera rei medicae conditione apud*

Indiae Orientalis populos die 13 ianuarii 1770 habuit.

Ibidem PHILIPPUS LUDOVICUS MÜLLER ordinariam hiſtoriae naturalis nactus eſt profeſſionem, nec non IOANNES CHRISTIANUS DANIEL SCHREBER medicinae, oeconomiae atque ſcientiarum cameralium profeſſionem adeptus et conſiliarius aulicus factus eſt.

In Academia, quae *Halae ad Salam* floret, ADAMUS NIETZKI medicinae, et IOANNES FRIDERICUS GOLDHAGEN philoſophiae et hiſtoriae naturalis ordinarias obtinuerunt profeſſiones.

Adiit die 28 martii 1770 ERNESTUS PLATNERUS, philoſophiae atque medicinae Doctor in academia *Lipſienſi*, munus Profeſſoris medicinae extraordinarii programmate, vbi *hiſtoriam literario-chirurgicam lithotomiae mulierum* tradidit et ad orationem: *medicos de animi cvm corpore conſenſu audiendos eſſe ad infringenda commenta materialiſtarum*, audiendam inuitauit.

Sueuofurti die 25 decembris 1769 experientiſſimus BOENNEKEN epiſcopatuum Wertheimenſis et Herbipolitani conſiliarius aulicus, poliater et Academiae naturae curioſorum ſodalis vitam cum morte commutauit.

Conſtituit Societas, quae *Roterodami*, moderante Cl. CAMPERO *), varia iamiam contagii in vitulos transferendi fecit experimenta, explorare: num perinde ſit, quaenam pabula, poſtquam contagium per artem ſuſceperunt, exhibeantur; dein cur contagium hyemali tempore validius ſit, pluresque eo correpti

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. hoc p. 363 et 553.

correpti pereant, quam aestiuo tempore, vti in Anglia, Italia aliisque locis obseruatum est, quo eo melius et accuratius diiudicari possint, quae in posterum, contagio, per artem inducto, vel prosint vel obsint.

Quam ob caussam die 2 ianuarii 1770 quatuordecim annui vituli et vna vacca contagio imbuebantur, quorum tredecim a d. 12 vsque ad d. 21 eiusdem mensis perierunt. Praeter venaesectionem post quartum translationis diem, nullis amplius adhibitis medicaminibus, foenum et aquam porrexerunt.

Cadaueribus apertis, partes capitis, pectoris et abdominis multo magis infectae reperiebantur, quam in antecedentibus, ac inprimis quidem ventriculi, qui multo magis, ac solet, indigesto, sicco, fibroso et quasi conuoluto atque adusto impleti erant foeno. Infelici itaque huius contagii euentu cum praecedentibus longe felicioribus collato, iisque, quae, cadaueribus his dissectis, obseruarunt, cum illis, quae antea reperierunt, comparatis, ad foenum, vt ad principem caussam huius minus prosperi euentus, esse respiciendum, contagiumque ideo hyemali tempore magis noxium esse, ac foenum omnino contagio imbutis multa incommoda afferre, Societas adducitur, vt credat.

Rebus itaque sic se habentibus, pabula, quae horum aegroto statui magis conueniunt, quam foenum, iis praebenda esse statuit Societas, ac habet omnino in votis, vt ii, qui ita inseruire velint rebus publicis, assidue et accurate omnia attendant et candore quodam, quaenam alimenta et medicamenta vel commoda vel incommoda attulerint, cum Societate communicent, quo tota haec res emendari et certior reddi queat.

Memoria CHRISTOPHORI IACOBI TREW, Medicinae Doctoris, S. Rom. Imperii Nobilis et Comitis Palatini, Imperatoris Romani Conſiliarii et archiatri, Marggrauii Onolsbacenſis Conſiliarii intimi et archiatri, Phyſici Noribergenſis Ordinarii et collegii medici Senioris primarii, Academiae Naturae Curioſorum Directoris, Societatis Londinenſis, Berolinenſis et botanicae Florentinae Sodalis.

Multis de cauſſis TREVIUM meruiſſe, vt inter doctiſſimos omnisque naturae peritiſſimos medicos numeraretur, ſatis quidem munera et honores, quos geſſit, comprobant; ſed multo magis atque certius libri, quos ſcripſit, proprii cuilibet docto viro teſtes: tum longa vita, penitus in literarum ſtudiis transacta: cura denique impenſa omnium earum rerum, quae artis medicae et naturae cognitionem vel illuſtrant vllo modo, vel efficaciter adiuuant. Quid autem prius dicamus, ipſa illa cura, quae non tam literarum ſtudio continetur, quod aliquis fortaſſe ad ſuam oblectationem referat, quidam adeo ad gloriae cupiditatem; quam totius generis humani incorruptum amorem declarat, cui etiam colligendis ſeruandis diuulgandisque iis, quae bene inventa atque elaborata ſunt, vnice conſulitur. Non minus enim humanis rebus proſpicit, qui artis ſcientiam hoc modo alleuat et commendat, quam qui artem ipſam facit, etiamſi alter futurae aetati tamquam ſerit ac plantat, alter praeſentes fructus offert. Sed illa cura non tantum noua dicendo ſcribendoue ſalubris eſt; ſed etiam cuiuslibet aetatis monumentis colligendis, vt errorum atque veri hiſtoria pandatur. Quam etſi breuiter et bona fide confi-

consignatam legere non poenitendum lucrum est, tamen, nisi ipsa monumenta exstent, vnde vberior cognitio hauriatur, nondum sibi omnes satisfactum putant. Iubet enim disciplinarum historia plura quaerere, redditque adeo inuestigandi cupidos: quis autem, aut vbi quaerat, nisi quidam fuerint tam generoso animo, vt aliorum causa scriptores omnium aetatum colligant? Quare de aliis optime mereri videntur, qui vel diuitias ita contemnunt, vt eas sine vsura in bibliothecis repositas habeant; vel rem familiarem ita diligenter administrant, vt semper aliquid ad hos vsus reliqui fiat: sic enim, cum eorum bibliotheca totius vrbis refugium sit, honestissimo modo liberales esse, et, quod nemini alii licet, per diuitias suas docere possunt. Ac talem fuisse TREVIUM, verissime confirmare possumus. Quidquid enim ingenii a natura acceperat, quidquid amoris erga naturae opera vel educatio in animo eius incenderat, vel itinerum diuturnitas aluerat et confirmarat, quidquid denique in literis adiumenti e diuitiis, doctorum virorum amicitiis, ipsaque vitae longioris vsura ei se obtulerat, id omne honeste ac recte, hoc est, ita collocauit, vt non solum via tardiore atque difficiliore ad doctrinam contenderet, partamque tueretur; sed praesidiorum omnis generis tantam copiam congereret, vt nihil non ab ipso peti posset. Etiamsi enim dissertationum incredibilem summam praetereamus, (numerantur autem vltra sedecim millia) tantam librorum multitudinem collegit, vt nullus facile nostrorum medicorum, nec copia, nec pretio certare cum eo posset. In quo si vel maxime bona malis mixta sint, tamen iis gratiae habendae videntur, qui omnia conquirunt, cum interdum quantiuis sit, nosse amicum, apud quem huius generis mala reperias. Inter illa vero 22700 volumina tam raros nactus est libros, vt etiam solus

aliquos poſſideret, et Altorfina academia, cui omnem illum theſaurum legauit, iam de eo iure gloriari poſſit. Poſſidet enim, vt e multis quoſdam nominemus, *Dodartianae* hiſtoriae plantarum omnes tres partes, et ſex volumina naturalis hiſtoriae, lingua Sinenſi in charta bombycina ſcripta, ſiue potius nigro colore Sinenſi picta, inſertis figuris ligno inciſis: quos libros ipſe TREVIUS inter cimelia bibliothecae ſuae numerare ſolebat. Sed ex his facile de ceteris iudicari poterit. Quod ſi praeterea manu ſcriptos libros, quos reliquit, enarrare inſtitueremus, certe modum excederet narratio. Itaque hoc vnum addimus, in hac bibliotheca tredecim millia epiſtolarum, ſeculo decimo ſexto, ſeptimo et octauo ſcriptarum aſſeruari, quarum non parua pars ab iis ſcripta eſt, quos TREVIUS in itinere conuenerat. De ceteris rerum naturalium collectionibus, quae medicae doctrinae quaſi vitam largiuntur, infra dicemus. Illa vero liberalitas, quam legato, de quo diximus, declarauit, ſine dubio et magnitudine et pretio rei praedicanda, tantoque honeſtior cenſenda videtur, quanto plus ſic potiſſimum inſtituta communi vtilitati conſulit, cum multo ſumtu ac tempore collecta bibliotheca non diſtrahatur. Quod ita diligenter cauit TREVIUS, vt ne illos quidem libros, quos bis emiſſet, vendi permitteret: hos enim Erlangenſi academiae donauit. Verum haec, quae multum a fortuna adiumenti habuerunt, etſi ad laudem ſunt vberrima, tamen ideo quoque non parum commendationis merentur, quoniam nullam ad oſtentationem comparata fuerunt; ſed ab ipſo literarum amore profecta, et ab eo viro inſtituta, qui vt ne otioſa quieſceret ſupellex, doctrinam tanto apparatu dignam haberet, animumque gereret tam humanum, vt cuilibet theſauri huius vſus pateret. Sed ad ipſam Viri vitam veniendum eſt, cuius omnis

decurſus

decurſus vel praeparationem, vel adiumenta eorum, quae hactenus commemorauimus, habuit.

Laufae anno 1695 natus eſt, in oppido agri Noribergenſis, patre CHRISTOPHORO, pharmacopola, matre SIBYLLA REGINA PRUNSTERIA. Ab anno ſeculi huius vndecimo ad quartum decimum Altorfii a SCHWARZIO, KOEHLERO, IANTKIO, HOFMANNO et HEISTERO philoſophiam, matheſin et medicinam ita didicit, vt HEISTERO etiam amico vteretur, ceterum botanicen prae reliquis curaret, et, hac curriculi parte abſoluta, anno 1716 medicinae doctor crearetur. Non diu, reuerſus in patriam, artem ibi fecerat, cum improuiſo a. 17 occaſio itineris ad Herbipolitanos et Francofurtenſes ad Moenum ei obuenit, quam maxime ad cognoſcenda foſſilia et plantas contulit, cuius generis multa ibi collecta aſſeruabantur. Inde per Alſatiam et Heluetiam Pariſios venit, vbi integrum annum inter chirurgos, anatomicos et botanicos exegit, ſed reliquas etiam hiſtoriae naturalis et literariae rei colendae occaſiones ſectatus eſt. Quo celebriora autem praeceptorum nomina ei vbiuis contigere, eo magis ille proficere potuiſſe videtur, qui ſtudium et induſtriam attulerat. Audiit ergo WINSLOVIUM ac DUVERNEIUM, duce BOUCAULTO per nouem menſes cadauera ſecuit, MERRYO et TUBAULTO chirurgis adfuit, ab ANTONIO DE IUSSIEU veniam horto botanico vtendi liberaliſſimam impetrauit, vt plantas etiam inde colligeret: in quo initia herbarii *Treuiani* quaerenda ſunt, cum non tantum illius horti bonis vteretur, ſed, quidquid ſolum Pariſinum ferret, adiungeret. Secundum haec in Batauis BOERHAVIO, RUYSCHIO, ALBINO atque RAVIO innotuit, Gedanique totum annum commoratus eſt, vbi adeo libentiſſime habitaturus videbatur, tantopere ei vrbs placuerat, niſi

niſi Noribergae amor eum retraxiſſet, in quam anno demum 1720 per Boruſſiam Saxoniamque ſuperiorem rediit. His non plura quidem de *Treuiensi* itineribus comperire potuimus; illud tamen vel ſic facile intelligitur, tot occaſionibus et exemplis oblatis non potuiſſe librorum coëmendorum cupiditatem non incendi, libros ipſos cognoſci, iudicandique facultatem parari, iungi denique multiplices familiaritates, vt in poſterum cum aliqua etiam moleſtia epiſtolae innumerae ſcribendae eſſent, ei praeſertim, qui omnibus reſpondere, gratulari, gratias agere conſueſſet. Illud ne admonitione quidem eget, collectos vbique theſauros, quos oculis et animo vſurparat, ad imitationem ei multum profuiſſe. Iam omnem reliquam vitam Noribergae agere viſum eſt, in primis cum ſuccedere in Altorfina academia HEISTERO, Helmſtadium euocato, recuſaſſet, ac tantum ibi ad vltimam vſque ſenectutem floruit, vt optabile cuiuis videatur, ſimilem a ſuis fauorem ſimilibus officiis et meritis inire. Reſtant alia quaedam de honoribus et inſtitutis TREVII. Non paſſura videbatur eius paupertas, vt ad doctoris honores adſpiraret, volueratque ipſe, venia artis faciendae diſputando impetrata, primum Laufae latere, niſi HEISTERUS tam diu monendo inſtitiſſet, donec eum ad hos honores compelleret, multisque modis impedimenta inopiae remouiſſet. In collegium medicum Noribergenſe an. 20 adſcitus eſt, an. 44 inter eius quinque Seniores relatus, an. 61 ad dignitatem Senioris primarii euectus. In initiis horum munerum, cum numerus aegrorum, quos curabat, nondum nimis excreuiſſet, medicinae ſtudioſos et chirurgos docuit anatomen et chirurgiam, cum iis cadauera diſſecuit, anatomicum Noribergenſe theatrum multis ſceletis et alia ſupellectili inſtruxit, cura denique horti medici ſuſcepta, botanicam explicauit.

Com-

Commercium literarium Noribergenſe, et acta Academiae nat. curioſ. TREVIO multa debent, ſiue ipſum librorum argumentum ſpectes, ſiue curam edendi, praefandi, et indicum conficiendorum. Maioris operis anatomici, quod inſtituerat, tantum ſeptemdecim tabulae oſteologicae prodierunt cum explicatione, quae non tota tamen TREVII eſt, niſi vbi de oſſibus caluae exponitur: cetera alius addidit, quoniam TREVIUS negotiis pluribus diſtentus erat. Omnes muſculi corporis humani, praeter eos, qui ad ſpinam dorſi ſunt, quales ipſe parauerat, delineati ſeruantur in eius bibliotheca; ſed exſpectant aliquem, qui aeri incidendos curet. Rurſus de herbario *Blackwelliano* in vernaculam transferendo primus cogitauit, operique aliquamdiu ipſe praefuit, nec, cum aliis maximam negotii partem mandaſſet, omnem eius curam omiſit. Omnino multa, quae hiſtoriam naturalem tabulis ſculptis vel pictis illuſtrant, aut ipſe inſtituit, aut ab exteris accepta repetiit, auxit, et cum noſtris communicauit. Cum vero omne a legitimis negotiis vacuum tempus botanicis impenderet, permultas plantas, et ab artificibus interdum probatiſſimis, pingi ſibi voluit, earumque numerum ad multa millia adaugeri vidit: non paucas etiam alibi pictas magno ſumtu coemit. Inſuper plantarum aridarum viginti quatuor volumina ſpiſſa habuit, in quibus illae Pariſinae ſunt, quas ſupra commemorauimus, multae Londinenſes et exoticae. Earum pars, vt a KELLERO pictae erant, Noribergae prodiit. De cura aegrorum indefeſſa atque proſpera dicere ſeparatim non attinet: qui enim haec omnia praeſtitit, quae antea narrauimus, qui ſponte et ſaepe magno ſumtu prodeſſe aliis voluit, is quomodo dubitari poterit talis etiam in iis fuiſſe, quae vitae genus ac munerum neceſſitas poſtulauit? Ita ergo vno ſenectutis morbo a. 1769, d. 18 iulii, aetatis anno 75 obiit.

Index

Index librorum, quos edidit b. TREW.

Diſſertatio inauguralis de chyloſi foetus in vtero, additis obſeruationibus anatomicis. Altorf. 1715. c. fig. aen.

Nachrichten einer raren Hauptwunde, deren Cur und Section. Nürnb. 1724. 4. c. fig.

Beſchreibung der groſſen americaniſchen Aloe, theils aus bewährten autoribus, *theils aus eigener Erfahrung zuſammengetragen. Wobey das tägliche Wachsthum des Stengels, der im* 1726 *Jahr zu Nürnberg verblüheten Aloe in Tabellen mit* obſervationibus meteorologicis *erläutert und die natürliche Beſchaffenheit des reifen Saamens vorgeſtellt wird.* ib. 1727. 4. *m. K.*

Vertheidigung der Anatomie in einer Rede. ib. 1729.

Epiſtolae ad Ill. ALB. HALLERUM de vaſis linguae ſaliualibus atque ſanguiferis ib. 1734. 4. c. tab. aen. viu. colorib. pict. IV.

Diſſertatio epiſtolica de differentiis quibusdam inter hominem natum et naſcendum intercedentibus, deque veſtigiis diuini numinis inde colligendis. ib. 1736. 4. Accedunt tabulae aeneae V. in duplo, alterae variis coloribus illuſtratae.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa doctaque pinxit GEORG. DIONYSIUS EHRET, Germanus, occaſione haud vulgari collegit nominibus propriis notisque ſubinde illuſtrauit et publico vſui dicauit TREW: in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IO. IACOB. HAID Decur. I–VII. ab anno 1750–1765. ib. fol. mai.

Imagines florum, WIRSCHINGII ſumtu publicatae, LXVI foliis.

Tabulae oſteologicae ſeu omnium corporis humani perfecti oſſium imagines ad ductum naturae tam figil-

ſigillatim, quam in ordinaria connexione ſecundum habitum ſuum externum, magnitudine naturali ſub eiusdem inſtitutione repraeſentatae, ab anonymo deſcriptae, a GEORGIO LICHTENSTEGER ſculptore et NICOLAO FRIDERICO EISENBERGER pictore effigiatae et in publicum editae ib. 1747. *Oſteologiſche Tafeln oder Abbildungen aller Beine eines vollkommenen menſchlichen Körpers nach der Natur ſowohl einzeln als in der ordentlichen Verbindung nach ihrer äußerlichen Geſtalt in der natürlichen Größe nach ſeiner Anweiſung vorgeſtellet; nebſt derſelben Beſchreibung eines Unbenannten. Ausgefertiget und verleget von* GEORG LICHTENSTEGER, *Kupferſtecher, und* NICOLAUS FRIEDRICH EISENBERGER, *Mahler.* ib. 1767.

Cedrorum Libani hiſtoria earumque character botanicus cum illo laricis, abietis pinique comparatus. Accedit breuis diſquiſitio, an haec arbor ſit illa ipſa in ſacro codice prae omnibus celebrata, et vel Aeres vel Beroſch dicta, itemque an graecis botanicis fuerit cognita, cum tab. aen. II. ib. 1757.

Apologia et mantiſſa obſeruationis de cedro Libani et cedrorum Libani hiſtoriae, ſeu hiſtoriae pars altera. ib. 1767. c. tab. pict. V.

Librorum botanicorum catalogi duo, quorum prior recentiores quoſdam, poſterior plerosque antiquos ad annum MDL vſque excuſos ad ductum propriae collectionis breuiter recenſet. ib. 1752. fol.

Catalogus bibliothecae medicae, philoſophicae et miſcellaneae decurſu L. annorum in priuatum et publicum vſum collectae, Academiae Norico-Altorfinae poſt ſua fata vltima tradendae. Sect. I. continens, acta, diaria miſcellanea, noua literaria Academiarum, ſocietatum cum publicarum, tum

tum priuatarum itemque ſingulorum virorum induſtriorum. ib. 1769. 8.

Multa porro, vti ex memoria b. TREW patet, in commercio literario phyſico, cuius continuationem ab anno 1734. curauit, nec non in Actis Naturae Curioſorum ab Eo elaborata reperiuntur. Nec minus variorum quoque librorum edendorum e. gr. CONRADI GESNERI Opera botanica. IO. MARTYN de plantis rarioribus, IO. HERM. KNOOP Pomologia, aliaque, conſilia pariter ac libros ex ſua dedit collectione, nec parum diligentiae aeque ac doctrinae ipſe in quibuſdam adhibuit, vt in Herbario Blackwelliano.

XIX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1765 prodierunt.

Beſtätigung der beſondern Krafft des neuen Mittels bey bösartigen und zuſammenfließenden Pokken, welches C. L. HOFFMANN *im vorigen Iahre bekandt gemacht hat; nebſt der Rechtfertigung ſeiner Heilart gegen den Herrn* L. H. SCHÜTTEN, *den jüngern* M. D. *in Cleve, durch* CARL HOFFMANN. *Münſter.* 4.

Mémoire ſur la vitalité ou nourriture des enfans par M. I. I. HOIN de l'Academie de Dijon. à Londres et à Paris. 8.

An inquiry in to the nature, cauſe and cure of the croup by FRANCIS HOME. Edinbourgh. 8.

Abhandlung von der elektriſchen Abſtoßung von ANTON HOMBECK. *Wien.* 8.

Kurtzgefaßte doch gründliche Anweiſung zur vortheilhaften Auslegung und Unterhaltung eines wohlbeſtellten Blumengartens, nebſt genauer Beſchreibung der Orte, Geſtalt, Pflege und Vermehrung dienſamer Blumen-

Blumengewächſe mitgetheilt von IOH. WILHELM HÖNERT. *Zwote vermehrte Auflage. Bremen.* 8.

Abhandlung von dem allgemeinen Holzmangel und von den Mitteln ſolchen Mangel zu ſteuern durch J. L. HUBERTI. *Frankf. und Leipzig.*

IO. NEPOM. AB HUMBOURG diſſ. ergo haemorrhoidi recenter tumidae ſectio, non hirudo, Vindob. 8.

Eſſai ſur les fievres auquel on a ajouté deux diſſertations, l'une ſur les maux de gorge gangreneux et l'autre ſur la colique de Devonshire par Mr. JEAN HUXHAM Docteur en Médecine. Traduit ſur la troiſieme edition Angloiſe à Paris. 12.

Eiusd. *Sammlung mediciniſcher Schriften von Fiebern, Kinderblattern, Lungenentzündungen, Seitenſtechen, böſen Halskrankheiten. Bremen.* 8.

An Eſſay on Britiſ'h iſinglaſs by JACKSON Lond. 8.

Discours ou hiſtoire abregée de l'antimoine et particulierement de ſa préparation par Mr. JACQUET. Paris. 12.

Unterricht an die ſchleſiſchen Landleute, wie ſie ſich theils vor Krankheiten verwahren, theils wenn ſie damit befallen werden, ſich mit gehörigen Mitteln zu Hülfe kommen ſollen, bis ſie die Hülfe eines Arztes erlangen können von GOTTFR. FERDINAND JÄNSCH. *Breslau.* 8.

CLAUD. CARL DE IEEN Quaeſt. med. an plurimi inter acutos morbi criſes eludunt. (affirm.) Reſp. *I. Ant. Elias de la Poterie.* Pariſiis. 4.

Demonſtratio vteri praegnantis mulieris cum foetu ad partem maturi, in tabulis ſex ad naturae magnitudinem poſt diſſectiones depictis et ex methodo diſpoſitis, vt huius ſtatus grauidi amplam ob oculos ideam collocent, cum explicatione cura et ſtudio CAROLI NICOLAI IENTY ad exemplar Londinenſe translata a D. CASIMIR.

CHRISTOPH. SCHMIDEL in aes inciſa et re-cuſa a IO. MICHAELE SELIGMANN (*latine et germanice*) Norimbergae fol. max. (*Ante aliquot annos iam incoeptum opus hoc demum anno ab-ſolutum eſt.*)

IAC. FRID. ISENFLAM diſſ. inaug. de varietate muſculorum Reſp. *Wilh. Chriſt. Hommer.* Erlang. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de cauto ſpecificorum vſu et commendatione Reſp. *Iac. Michael Halbmayer*, ib. 4.

Nöthiger Unterricht, wie bey den herrſchenden bößartigen Fiebern die Krankheit abgewandt oder geheilt werden könne (von D. ITH). *Bern.* 4.

IOH. GOTTFR. JUGELS *gründlicher Naturbericht des ganzen mineraliſchen Reichs oder natürliche Berg-Schmelz- und Figierkunſt.* I. *Theil. Wien.* 8.

FRID. CHRIST. IUNCKER diſſ. inaug. qua demonſtratur, debilitatem, a profuſa fluidorum euacuatione enatam, eorum coctioni ſemper eſſe proportionatam Reſp. *Alb. Goſwin Walther.* Halae. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de cauſſis quibuſdam praematurae ſenectutis praecipuis Reſp. *Io. Henr. Buhring.* ibid. 4.

HEINR. GOTTL. IUSTI *Grundriß des geſammten Mineralreichs 2te Auflage. Göttingen.* 8.

PETR. KALM diſſ. florae Finnicae, pars prior Reſp. *Wilhelm Grenlund.* Aboae. 4.

Eiuſd. Om liks begrafwande in kyrkoroch Kyrkogärder. ib. 4.

CARL. FRIDER. KALTSCHMID diſſ. inaug. de febre lenta haemorrhoidali feliciter curata. Reſp. *Guil. Godofr. Vogler.* Ien. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de cauſſis debilitatis febrilis Reſp. *Io. Carl. Rauchfus.* ib. 4.

CARL.

CARL. FRIDER. KALTSCHMID diſſ. inaug. de vomitoriis. Reſp. *Io. Ernſt Klotz.* ib. 4.

Eiuſd. Progr. inaug. de tumore tunicato peculiari. ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de nauſea, quae germ. *die See-Krankheit* appellatur. Reſp. *Frid. Io. Chriſt. Hallbauerus.* ib. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de hydrope pectoris ſaccato rariſſimo. ib. 4.

KÄPLERS *Anweiſung zu mehrerer Erkänntniß und Verbeſſerung des Forſtweſens. Eiſenach.* 8.

Trattato della Seminazione de campi et della Coltivazione de Prati di G. KATTI. Tenez. con fig.

GEORG. SIM. KEILHORN diſſ. de radicibus ſenega et ſalab. Francof. ad Viadr. 4.

ANT. KESLER diſſ. inaug. de herniis. Vindobonae. 4.

FRANC. ANT. KESZLER diſſ. inaug. de viola. ib. 8.

Methode generale de Mr. KEYSER pour l'adminiſtration de ſes dragées dans le traitement des maladies vénériennes inprimée par ordre du Roi. Nouvelle Edit. à Paris. 12.

IO. KIES diſſ. de phyſica ad maiorem ſimplicitatem reducenda. Reſp. *Gottl. Chr. Storr.* Tubing. 4.

CARL. ANDR. ERN. KLEINMANT diſſ. inaug. de hydrope in genere. ib. 8.

ANTON. KLEIN diſſ. inaug. de vitae regimine grauidarum. Vindobon. 4.

Ein in dem Königreiche Preußen vngemein bewährt befundenes Mittel wider die Seuche des Rindviehes durch den Druck zum allgemeinen Gebrauch bekannt gemacht von einem vornehmen Patrioten. Brandenburg. 4. (von Herrn geheim. Rath VON KLEIST.)

E. D. KLUGE, M. D. Commentatio, quatenus ex animi diuerſa ratione diuerſum recte deduci atque demonſtrari poſſit temperamentum. Zerbſt.

Pomologie, ou deſcription et peinture des meilleures ſortes de pommes et de poires, que l'on eſtime et cultive le plus, ſoit aux Pays Bas, ſoit en Allemagne, en France, en Angleterre cet. expliquées deſſinées d'après nature et inluminées de leurs couleurs naturelles par JEAN HERRM. KNOOP. traduit de Hollandois à Leeuwarde. fol.

ALEX. BERNH. KÖLPIN oratio de hiſtoriae naturalis et ſpeciatim botanices praeſtantia ac dignitate. Gryphiſwald. 4.

IO. MART. KRAHMER diſſ. inaug. ſiſtens meditationes circa febrem malignam, topicam bilioſam vel cholericam putrem recentiorum eiusque legitimam medelam. Argent. 4

CAROL. CHRIST. KRAUSE diſſ. inaug. de ſenſilibus partibus humani corporis. Reſp. *Io. Wilh. Struve.* Lipſ. 4.

IO. FRID. KRÜGER ſuar på fragon hwilka üro ſwenska Climatens förmoner och olägenheter i anſcende til almänna och enskilda hushällningen i iamforelſe emot andra länder, Stockholm. 8.

IO. GODOFR. LAMBERTINI diſſ. inaug. de neceſſariis iis ad hoc, vt medicus praxin cum laude exerceat. Vindob. 8.

— DE LA LANDE Art du mégiſſiſſier, à Paris. fol. av. fig.

IO. HENR. LANGE, M. D. tentamen phyſico-medicum de remediis Brunſuicenſium domeſticis. Brunſuig. 8.

GEORG. AUG. LANGGUTH. diſſ. inaug. de morbo boum adhuc epidemice graſſante. Reſp. et auctore *Io. Godofr. Ulmann.* Witteberg. 4.

Eiuſd. progr. inaug. de recuperanda medicinae veterinariae prima dignitate. ib. 4.

GEORG.

GEORG. AUG. LANGGUTH. prog. inaug. de paracenteſi aſcitis remedio admodum probabili ad loc. CELSI lib. III. cap. XXI. ib. 4.

ALEXAND. LARREY diſſ. de praecipuis lactentium morbis. Auenione. 4.

PETR. LASSERS theſes anatomico-chirurgic. de morbis linguae. Pariſiis. 4.

FRIED. IOS. LAUTTER *zweyjährige Geſchichte der Krankheiten, welche vom Frühlinge* 1759. *an bis zum Ende des Winters* 1761. *in Laxenburg und den umliegenden Dörfern geherrſchet haben, welche eine beſondre und ſeltne Epidemie von intermittirenden Fiebern beſchreibt. Aus dem Lateiniſchen überſ. v.* Ioh. Heinrich Schönhegder. *Copenhag.* 8.

LUDOV. LAZZARELLI ſeptempedani poetae laureati bombyx. Acceſſerunt ipſius aliorumque poetarum carmina cum commentariis de vitis eorumdem IO. FRANCISCO LANCILLOTTO A STAPHYLO auctore ad POMPEIUM COMPEGNONIUM Maceratenſem Auximatum et Cingulanorum pontificem. Aeſii. 4.

